De luce ex lusibus verborum, quos dicunt, litterarum sacrarum studioso adfulgente

disquisitio,

quam

Venia Ampl. Facult. Theol. Lundens.

Præside

Doct. JOHANNE MAGNO MELIN,
S. S. Theol. Professore, ecclesiarum Husie et V. Skreflinge
Pastore et Præposito,

Pro Candidatura Theologica

p. p.

Mag. CAROLUS GUIL. SKARSTEDT,
V. D. M.

In Academia Carol. die VI Nov. MDCCCXLVII.

H. a. et p. mer. solitis.

Lundæ,
typis Berlingianis,
MDCCCXLVII.

S. R. M. magnæ fidei viro

reverendissimo

Dioeceseos Gothob. Episcopo, de stella polari Commendatori

S. S. Th. Doct. ANDREÆ BRUHN

et

Viro max. reverendo

eccles. Slöinge et Eftra Pastori,

rebusque eccles. per regionem Halmstad. præposito

S. S. Th. Doct. SAMUELI KAMP,

quorum liberalitas

"hæc mihi otia fecit,"

sacrum

v.

C. G. S.

De luce ex lusibus verborum, quos dicunt, litterarum sacrarum studioso adfulgente disquisitio.

> Mich dünkt . . . das es mit der Paronomasie der Hebräer nicht eine so verächtliche Sache sei als man sie sich aus dem Gebrauch der Wortspiele in neuern Sprachen denkt, jene war von einem ganz andern Bau und die Anspielungen hatten in ihr einere andere Absicht.
>
> Herder.

Quoniam in antiquitate litterarum sacrarum, quas dicunt, nulla fere obtinet latebra, quæ non jam plurimorum studiis investigata sit et cum fastidio sæpe legentium retractata, nec defuerunt, qui rem, quam illustrandam sumsimus, certe delibarent *). Copiosiori vero horum nemo, quod

*) Scripserunt de hac re: *Sal. Glassius* in philol. sacra (in parte rhetorica), ed. Olear. cum præf. J. F. Buddei, Lipsiæ MDCCXXV. p. 1996. cet. quamquam exempla is magis enumerat quam perquisite disponit; *C. B. Michaelis* diss. de paronomasia sacra. Halæ 1737. 4. quam dissertationem quidem non contigit mihi videre; quid autem ad rationem rei definiendam profecerit, non facile colligere possumus, quum ille tantum, ut testatur Herder, "hat nach Buchstaben des Alphabet . . die Namen- und Wortspielen Ebr. sorgfältig gesammelt." In hoc argumento ei non omnino adsentitur filius *J. D. Michaelis,* qui quæ de re nostra senserit in medium protulit not. 76. ad librum, qui inscribitur et eleganter agit *de Poesi Sacra Hebræorum* Gotting. MDCCCLVIII. p. 290. ipso auctore *(R. Lowth)* rem nostram tantummodo significante. Forsitan rei aliquod lumen adsperserit *J. H. Verschuir* diss. de paronomasia sacra Orientalibus multum adamata, quæ tamen, (inserta Ejusd. dissertt. philol. exegett. 1773. 4.) "enthält besonders Beispiele aus Hariri." *Eichhorn* in Einleitung ins alte Testament, Leipz. 1787. III. Th. pag. 119. 273. paucis indicat se rem non neglexisse omnino. Viam scientiæ magis adcommodatam ingressi sunt *J. G. Herder* et *W. Gesenius,* ille in libro suo *vom Geist der hebr. Poesi* (sämtl.

sciam, explicatione eam habuit dignam, sive propter infrequentiam, quamquam nihil frequentius quam hæc ipsa libros sacros, ne dicam universorum scripta Orientalium *) legentibus occurrit; sive quod nullius omnino esse existimarent elegantiæ sermonis, quamquam quo jure res, in qua sacri scriptores tam sibi placuerint quamque in locis sublimioribus quidem non respuerint, inelegans judicetur, haud equidem video; sive denique quod non satis aptam putarent, quæ ad certa principia atque rationes revocaretur; etiamsi crebra eorum verborum, quibus lusus fiunt, animadversio haud scio an etiam viam tibi præmuniverit, qua singulos ad singula judicia referre possis. Mihi vero, quum multum, ut ingenue fatear, non modo jucunditatis verum sæpenumero etiam luminis in libris sacris legendis ex lusuum in verbis animadversione redundaverit,

---

Werke I—III. Th. Stuttgart und Tübingen, Cotta, 1827.) II. Th. p. 160—166. hic in *Lehrgebäude der hebr. Sprache* Leipz. 1817. p. 858. rem, quam agimus, depingentes; quamquam, qui fuit finis operum, solis fere exemplis iisque perpaucis eam ipsam absolverunt. Ex iis, qui de rebus Novi Test. egerunt, hanc rem *J. A. Burkius* in indice Terminorum N. T., Gnomoni J. A. Bengelii subjuncta, Tübing. 1773. et G. B. Wiener in Gramm. des neutestam. Sprachidioms Leipz. 1844. §. 62. leviter tetigerunt; planius fortassis *J. F. Böttcher* "de paronomasia finitimisque ei figuris Paulo Apost. freqventatis. Leipz. 1823" quæ monographia ut nobis mitteretur, frustra ad externos bibliopolas scripsimus. Verecundius addo "de lusibus verborum in lingua bebræa disqvisitionem" quam pro gradu philos. Præside Prof. *H. G. Lindgren.* Upsaliæ edidi 1841.

*) Quam familiaris hæc ludendi consuetudo Arabibus sit, qui scire cupiat, is adeat hæc duo manuscripta Upsaliensia (quorum catalogum, nondum editum, liberalitate auctoris cel. Prof. C. J. Tornberg mihi contigit cognoscere): *Librum fructus paronomasiarum*, quem *Djelal-el-din Sojutensis* († 1505, 6.) de variis (numero quindecim!) paronomasiarum in lingua arabica scripsit, et additis, e Corano, traditionibus et poematis sumtis, exemplis illustravit; et quod inscribitur *Tractatus operis phrygici nominalis super thesauro nominum, quæ occultam habent significationem* (auctore *Schehab-el-din Ahmed Abu-l-Nur*, vulgo *Ibn-el-Bekka* a. 1630.)

operæ pretium visum est anquirere, quid huic, quam plerique despicerent aut certe minus quam par erat respicerent, rei tribui debeat.

§. 1. De nomine igitur, quo rem, quam sumsimus nobis pro virili tractandam, primum videamus. Versatur autem in magna varietate res, quæ quamvis a nullius linguæ consuetudine abhorreat ea quidem, haud scio tamen an in iis, quas præter alias sacro nomine adpellari solet, eluceat præcipue. Lusus vero, quos proprie dixeris, verborum, iis vocabulis vulgo efficiuntur, quæ ita deflexa sunt, ut, si sonum respicias, non differant multum, si vim et sensum, dissideant aliquantum. Quis autem est, quin perspiciat, rem latius patere, nec absonum esse, nisi adpellationem liberrimam cancellis nimis circumscriptam voluerimus, huc referre omnium vocabulorum rationem quæcunque aliquam præ se ferant sive internam sive externam similitudinem, modo ne temere incidat sed ita posita sit ut ad mentes nostras vel aures peculiari modo adficiendas delecta videatur *). Hoc quidem pacto fit, ut complures nominationes, quibus una eademque res, verbis tantum aut judicio, quod iis subjectum est, nonnihil immutata, apud illos, qui de his rebus præcipiunt, disponi solita est, a nobis ad unum illud nomen referri queant. Quare, quum in eam verborum collocationem, cui aliqua ludendi ratio subsit, inciderimus, non istorum anxietate laborabimus, qui numquid paronomasia vocari debeat, an antanaclasis potius, an mimesis, an alio de-

---

*) Wortwitze hat man Wortspiele genannt, weil sie vom Wort ihre Veranlassung nehmen. — Das Wortspiel behandelt das Wort als das Zufällige, es wird nach seiner Aeusserlichkeit, nach seinem Klange und seiner Stellungsgleichheit vorgebracht, hört aber dennoch nicht auf zu bedeuten, und wird gerade so bedeutend, wenn dass Wortspiel überhaupt Gehalt und Inhalt hat. Diese bedeutung ist der Sinn des Wissens . . . und jene Zufälligkeit ist der Gegensatz gegen das Bewustsein oder Wissen, worin er aufgehoben ist. *A. Ruge* neue Vorschule der Aestetik. Halle 1837.

nique nomine, curiosi quærunt. Ceterum si quis objecerit, inscriptionem nostram ad dignitatem et quasi σεμνοτητα rerum, de quibus sermo fit, non satis esse aptam, admonuisse ineptum non erit, ipsam sapientiam divinam "ludentem coram Deo jugiter, ludentem in orbe ejus terræ "induci, quin Deum ipsum multis locis ludificari atqve ridere homines improbos dici, velut Prov. 8, 30. 31. Ps. 2, 4. cet. *).

§. 2. Quod si originem tam adamatæ apud Hebræos verbis ludendi consuetudinis investigare oporteat sive indagare, unde factum sit, ut scriptores eorum in hoc genere tam multi inveniantur, id non facile uno verbo et communi absolvitur. Nos vero potissimum ad genus quoddam sententiosum gnomicumque, ex quo plurimas litterarum sacrarum partes consistere statuunt, referendum censemus. Quemadmodum enim his litteris ubique fere aliquid gnomici inest, ubi sententiæ sententiis breviter collatis, respondeant et inter se quodam modo ludant, ita hoc sat multis locis fit præstanti modo per voces singulas sibi invicem similitudine quadam ludicra respondentes **). Neque est quidquam aut usu fre-

---

*) Gott spielt mit uns gleich wie Joseph mit seinen Brüdern, ait Lutherus ad Gen. 44. et profecto tum in ore tum in nominibus Dei litteræ sacræ varios, quos nominamus, verborum lusus exponunt. "Da diese in der Poesi der Ebräer so häufig als verschieden sint, und man über sie *des Namens Wortspiel wegen,* so verschieden geurtheilt hat: so lasset uns etwas mehr hiervon reden. Wortspielungen durchgehen alle Schriften der Ebräer; .... Zuvörderst bitte ich dass man das Wort "Wortspiel" veglasse, und lieber Namen-Anspielung, Schallesæhnlichkeit sage. Unter dem ersten denkt man sich meistens nur die schlechte Kunst die der Englender *the art of punning* nennt und von deren Übermuth der alte Ebræer nichts wusste." Herder l. c. Hæc quidem ille, quibus, quum nobis rem ipsam restrictius præfiniat, ad existimandum minime commovemur, usum nominis illius tolli abusu. Neqve quin eum reservemus impedit ipsa hebræorum definitio, quæ, teste R. Kimchi, inest verbis לשון נופל על הלשון quippe quæ ad Jes. 47, 6. 65, 12. ubi vera ludendi ratio exstat, commemoretur.

**) Hanc ludendi similitudinem etiam apud profanos scriptores reperiri multis exem-

quentius aut memoriæ ceterisque animi facultatibus, magis opportunum in qualibet lingua, ubi tales deprehenduntur gnomæ, quam his verbum unum vel alterum ludendi gratia inserere. Deinde vero quum scriptores ac præcipue vates sacri in allegoriis sæpius versentur, substructâ rei cujusdam allegoricæ significatione multi apud illos verborum lusus nixi reperiuntur. Multi demum, quum item in rebus, quæ ad religionem non multum pertinerent, ingenium populi libere luderet, nati sunt. Præterea ex lusibus lusus nascebantur, et id quidem plerumque ita, ut quum alii velut sua sponte nati exstiterint, alii tamquam concepto ex consilio, studium nescio quod adornandi, declarare videantur.

§. 3. Jam vero quæritur, num aliquam præ se ferat pulchritudinis speciem hoc genus ludendi aut vero an virtus etiam sit. Sunt autem, ut supra monuimus, qui id negantes, quum litteras de cetero sacras atque in his multas dicendi virtutes agnoscere non dubitent, fastidio tamen nescio quo ducti, morem quem loquimur apud auctores S. Litt. judicent pæne profanum. Alii mitiores sunt judices et ad sublimitatem sermonis sive poetici sive prophetici nonnumquam conferre arbitrantur. Et vero quandoquidem omni ævo maximi ingenii homines, quorum libris lubenter studere solemus, in lusibus verborum usurpandis sibi indulserint, *) non facile erit dicere, quare, quod in his non offendat et

---

plis, quæ Lexico Græco-latino subjunxit, C. Schrevelius probavit in indice γνωμων ἑλληνικων βραχειων: vers. 7. 8. 48. 63. 82. 175. 188. 238. 266. 267. 280. 289. (344) 411. 414. 434. 436. 527. 540. (552). 565. 604. 620. 621. 626. 628. 667. 668. 675. Alia aliunde infra recitabimus.

*) Sic, ut alios omittam, *T. Ciceronem*, ut in pluribus suis scriptis, ita maxime in Verrem cognovimus ludentem; nec minus *Ovidium* in opere metamorphoseon præcipue; quid loquar de *Erasmo*, quid de *Shakspeare*, quem ipsum in hoc genere nimium nonnulli ejus nominis cultores judicarunt? Ex nostratibus tantum liceat commemorare *Stjernhjelm* et, quia poetæ illius Anglicani mentionem fecimus, translatores Shakspearii, quorum ingeniorum vis nescio an maxime ingenua conspiciatur in

interdum laudibus prædicetur, id in libris præter omnes legendis vituperari debeat. Negari non potest, fore ut, si vituperandum sit nimium in hoc genere versari, auctores vaticiniorum sacrorum in vitio esse videantur, iis immoderate nonnumquam et insolenter utentes. Amant hoc Orientales; et multa, quæ nostræ aures, nimium fortasse in his rebus delicatæ, vix ferunt, eorum audaciæ atque instituto concedenda sunt. Cavendum igitur est, ne nostro, ut fit, modulo aliena metientes male æstimemus. Quo magis, puto, quis litteris sacrorum scriptorum legendis se dederit et eorum oculis, ut ita loquar, cernere omnia consueverit, eo minus offendetur lusibus illis qui plus sæpe habent in recessu quam fronte promittunt. Neque sunt omnes ejusdem claritatis atque elegantiæ, quippe in aliis occultior quædam serpit vis, in aliis vero tamquam emicat et exhibet indolem suam. Ad priores magna ex parte pertinent ii, qui verbis forma plane similibus efficiuntur. Quocirca horum, latine dicendi præcepta tradens, exempla se vitandi potius quam imitandi gratia ponere dicit Quintilianus *), haud negans ille quidem reliquis elegantiam competere posse. Atqui quod de ambitione disserit idem, **) licet ipsa vitium sit, frequenter tamen caussam esse virtutum, id his lusibus verborum, quos non admodum probat, in disputatione nostra vindicare conabimur.

---

imitatione lusuum verborum. De ingeniosis nominis christiani heroibus adfero tantum *Augustinum* et *Lutherum* non magis alia re quam hac ipsa verbis ludendi consuetudine inter se propinquos. *Schiller*, et in hoc genere ipse excellens, commode præcipit, unicuique lusui poëtico rem seriam subesse oportere. (V. Ejus. Abhandl. über naive und sentimentalische Dichtung). ”Vi upprepa att vi ingalunda anse — — talets verksamhet på något sätt betingad af en sådan lek; ty en ordlek är ju ock en lek, men kan på rätta stället använd, innebära det djupaste allvar.” Palmer, homiletik öfv. af P. G. Ahnfelt, Lund 1846. p. 481.

*) Institut. Orator. Lib. IX. c. 3.

**) Ibm L. I. c. 2.

§. 4. Lusibus in vocabulis, quia non ejusdem quasi dignitatis cuncti sunt, prout in iis aut verbum aut sententia valeat maxime, ita distinguere soleo ut eorum tres ponam ordines. Ita enim nonnulli comparati sunt, ut verborum tantum interna quadam similitudine aut directa repugnantia delitescant, et sententia caput omnino sit. Exempla habeto Jes. 9, 15. 17, 2. Huc quoque referas si quos accentu quodam vel vocis aliqua impressione, dum ea aut attollitur aut demittitur, significatos repereris; quamquam in lingua hebræa, cum manifestum est antiquam et veram hebraica pronuntiandi rationem omnino esse ignotam, bujuscemodi nullos forsan nisi conjecturæ divinatione invenire licebit. Alii, quos quidem legitimos pæne dixeris, verbis sono confinibus efficiuntur, inflexa quidem significatione ita ut prævaleat tamen sensûs vis potiorque sit. Alii denique sunt, in quibus verborum consimilium vis est præcipua tamquam fere in curtis sententiose dictis conspicitur. Hanc distinctionem præsertim in tanta congerie lusuum verborum, quos complectuntur sacr. litterarum volumina, discernendâ, oportunam duximus. Quibus ordinibus si singulis suæ requirentur adpellationes, primum nobis, nisi forte putidius videatur, dicere placebit verborum *adlusionum*, secundum *collusionum, prolusionem* vero tertium.

§. 5. His in universum præmissis ad propositum propius accedidimus. Ad quod quæ nobis pertinere videbantur, ita dispósituri sumus, ut primum videamus, ubi consuetudo verbis ludendi maxime deprehendatur, in quibus dictionibus, in quibus rebus, apud quosnam auctores; deinde numquid valeat verbis ludendi ratio ad textum alicubi et sensum litterarum S. explanandam; tum vero quid item ad rhetoricam sacram illustrandam faciat.

A.

§. 6. Quum igitur primum considerandum est, ubi præcipue in verbis sacris obveniant lusus, sic fieri putamus, ut optime, quo tendimus,

præmuniatur via. Etiamsi autem vix quemquam alium populum invenias, cujus litteris tam familiaris sit hic ludendi mos, cavendum tamen est, ne te, ubicunque adsit aliqua verborum similitudo, continuo in lusum incidere existimes *). Neque vero citius quam diligentius agas, si judicare vis, ubi desideretur ludibundi ingenii acumen, nusquam adesse verum verborum lusum; illud enim in verbis ita penitus se abdere potuit et tamquam habitat, ut quasi quæri velit atque elici et sic tandem prodi. Magna igitur circumspectione opus est, ut rei, quæ facile in invidiam nescio quam inducitur, æqua existimatio nec nimia æstimatio fiat. Ad quod consequendum ita perveniemus facilius, si prius locos quosdam, in quibus præcipue scriptores rerum divinarum adhibuerint verborum lusus, perquisiverimus; hinc enim, quid in reliquis judicandum sit, proclivius erit intelligere.

§. 7. I. Res igitur quædam ea sunt natura, ut his præ ceteris

---

*) In quot quasque ineptias complures Judæi Scriptores hac via abierint, omnia fere scripta Rabbinorum, ut in his litteris eruditi viri mihi narravere, testimonio sunt. Et quo tandem, nisi ad ludicra quædam verborum referre vis præcepta ista de litteris suspensis, minusculis, majusculis, cet.? Confer quæ de usu vocabuli *Amen* relata retulit *A. Pfeifferus* in *Critica Sacra,* Leipz. 1685. p. 502. Quum vero de luce ex lusibus verborum sermo noster instituatur, non taciti præterire possumus locutiones illas Punicas apud Plautum easdemque lusibus verborum compositas; quarum in joculari facetaque Milphionis explicatione egregium textus Punici constituendi subsidium esse ostendit Gesenius. Quandoquidem enim vis comica totius scenæ in eo cernatur, quod Milphio scurrili quodam modo Agorastocli Punica ita interpretatur, quasi hujus linguæ soni Latini similes sint: ex nugatoria hac Milphionis interpretatione, quæ sono ubique cum punicis convenire debet, lectionis varietas in Punicis egregie judicari potest. Vide *Gesenius: Scripturæ* Linguæque *Phoeniciæ monumenta,* Lipz. 1837. pag. 375 seq. coll. cum Plauti Poenulo Act. V. sc. 2. Vide et D:r *F. C. Movers* Die Punischen Texte im Poenulus des Plautus Kritisch gewürdigt und erklärt. Breslau 1845. pag. 25 sequ. Atque cum his comparari potest *Schilleri* fabula, quæ Wallenstein inscribitur, in qua monachus iste Capuc. potissimum in lusibus verborum versatur.

opportunior sit ludendi ratio, ut in reliquarum gentium linguis, ita in Hebræorum sermonis consuetudine cumprimis. In his animadvertenda videntur:

α. nomina, inprimis quæ propria adpellare consuevimus, in quibus ludere tam moris fuerit Hebræorum, ut vix unum e multis, quod collusione careat, reperire queas. Hinc biblia sacra paronomasiis sive *προς-ονομασιαις*, ut habet Quintilianus, vel agnominationibus, quæ proprie et vi vocis adpellentur, scatent. Sic una cum nominibus protoplastorum quasi *πρωτη πλασσεται* paronomasia, Gen. 2, 23. 3, 20. et deinceps quot nati eorum, tot fere nascebantur ejusmodi cognominum lusiones. Nomen et omen apud illos arctissime conjuncta. Quod quidem in iis hominibus valet maxime, quæ gravissimi nominis fuere. In duplici nonnumquam et quidem triplici lusu, prout quodammodo immutatæ sunt res, nomina eorum nonnihil commutata reperiuntur, ut docet v. c. historia Noachi Gen: 5, 29. 8, 9. 21. Abrahami, Israelis, Josephi (Gen. 30, 24.) Petri Ap. cet. In nominibus peregrinis atque allegoricis eodem modo luditur, Hez. 23, 4. 1. Chron. 5, 6. 18, 5. Luc. 11, 15. 18. (*βεελζεβουλ*). Quæ quidem omnia non modo ad personas conveniunt, sed ad nomina locorum et monumentorum pertinent quoque. Videsis Gen. 26, 20. 22. 33. 31, 47. 49. 52. 1. Sam. 6, 18. Am. 5, 5. Mich. 1. et sexcenta alia.

β. ænigmata, somnia, visa et audita: Gen. 28, 11. 12. 18. 30, 35–43. 31, 8. 10. 40, 13. 19. Jud. 14, 14. 2. Sam. 12, 1. 1. Reg. 10, 1. 2. Jer. 1, 13. 14. 15. Dan. 5, 25.

γ. nomina numeralia: Jud. 16, 28. Zach. 11, 8. 1. Sam. 2, 5. Hohel. 4, 9.

δ. res quæ ad religionem diversasque vitæ rationes populi judaici pertinebant, præsertim quum animadversio fit in eorum a recta fide defectionem, quia tunc verba gravissima fiunt verbera. (Num. 21, 9. 1. Sam.

6, 7. 2. Reg. 18, 4. Es. 5, 1. 11, 11. 16. 27, 2. 28, 25. Jer. 1, 11. 2. Chr. 6, 20.) De usu lusuum in oraculis vide infra C. §. 27.

ε. formulæ quæ ad illudendum et insultandum spectant. E. gr. Jes. 46, 1. 65, 11. 12. Jer. 34, 17. Gen. 27, 36. compluresque loci, ubi Esau quemadmodum re vera salutem suam luserat, ita verbis multifariam ludit (scil. et ad patris et ad fratris nomina adludens); Matth. 27, 47. ubi isti vocem servatoris crucifixi ἠλι, ἠλι in ἠλιαν irridentes pervertunt.

ζ. res elegiacæ et fere iis, quas modo innuimus, contrariæ 1. Sam. 4, 21. 2. Sam. 1, 24. Jes. 15, 4. 16, 9. 10. Huic quidem rationi imprimis apud Jeremiam satis multi lusus originem debent (Thren. 2, 15. 16. 3, 19), Hez. 9, 4. Matth. 24, 30.

§. 8. II. Quemadmodum res, ut vidimus, aliæ sunt aliis ei generi, quod comprehendit disputatio nostra, tamquam adcommodatiores animadvertendæ, ita in sacris litteris collatis quædam possunt distingui verba, quæ ad lusus formandos, si non suo quasi jure melius, at sæpius certe et satius repetita, sese adplicarunt. Ex his aliquot jam a nobis adferantur, quorum unum et item alterum tam fuit scriptoribus illis dilectum, ut ubiubi id offenderis, in vicinia adesse collusionem suspiceris. Sic, ne multi simus, verba fere in quibus litteræ שׁמ reperiuntur, varie ludendi gratia componi solent, שׁם nomen, שׁמן oleum, שׁמע audivit, cet. Gen. 27, 28. 39. 1. Reg. 10, 1. Es. 1, 2. 6. 7. 30, 22. 39, 2. 59, 19. Thren. 3, 11. Cant. 1, 3. 4, 10. Hez. 6, 14. 35, 3. Vocabula, in quibus litt. צר, זר et כר exstant 2. Reg. 19, 24. 25. (Jer. 33, 1.) Prov. 24, 9. Jes. 63, 9. Jer. 51, 2. Jes. 17, 10. Hez. 12, 14. Hos. 4, 16. 17. 19. Inter verba ראה vidit et ירא timuit (bisque similia) intercedit haud paucis locis eadem ludendi ratio Exod. 14, 13. 31. Prov. 22, 3. (1. Sam. 3, 15), Jes. 41, 5. Zach. 9, 5. et sæpius in libro Psalmorum 27, 1. 60, 5. 6. 112, 8. Adde: Exod. 34, 3. Jes. 11, 3. 32, 14. Jer. 11, 15—17. 22, 22. (Gen. 48, 15. 16. Jes. 65, 2 5.) Hez. 11, 9. 34, 23. 25. Ps. 28, 3. 4. Prov. 3, 29. 13, 20. (Gen. 28, 17.) Conjunctio vocabulorum נחם et נקם ad collusionem effingendam multum Hebræis placuisse videtur, Jes. 1, 24. 61, 2. Jer. 46, 10. (Exod. 13, 17.). Æqualis conjunctio græcorum φονος, φθονος, Rom. 1, 29. Gal. 5, 21. (Marc. 15, 7. 10.) *). Vb. שׁוב

*) Sit ut fortuito factum videatur; dignum tamen est quod observetur, non solum in L. S. sed in alienis item easdem voces ex quadam lusione conjuncta occurrere. Veluti in his φθονηρος, πονηρος, Sir. 14, 10. et ex distichis, quæ supra §. 2. me-

cum suis conjugatis sæpissime ut collusio efficiatur, collocatum Ps. 132, 10. 11. Jer. 3, 12. 14. 22. 8, 4. 5. Hez. 7, 13. Hic quoque observetur phrasis illa frequenter obvia שׁוּב שְׁבוּת e. gr. Hos. 6, 11. Et omnino heic eæ verborum hebr. formæ dignæ sunt, ad quas animum adtendas, quæ, quum ex eadem radice, ut grammatici loquuntur, existant paullum modificata, aut ex eodem fonte derivata, significatus perquam dissimiles atque nonnumquam oppositos pariunt. Exempla hujus rei vide Gen. 42, 7. 49, 33. Exod. 23, 2 (= 1. Sam. 8, 3. + Amos. 2, 7. 8.) 1. Sam. 2, 24. Jes. 7, 9. 24, 2. 4. Quod autem in hebræa lingua fit varietate conjugatorum, id in græca plerumque efficitur compositione. Atque verba hac ratione in N. T. potissimum usitata hæc fere sunt: *κρινειν* (Rom. 13, 12. 13. 22. 23. 1. Cor. 2, 14. 11, 29. seq. 4, 3. 4. 6. Jac. 2, 4. cet.); *καλειν* (1. Cor. 1, 1. 2. 8. 9. 10. 25. 26.) *πιστευειν, πιστις* (Joh. 2, 23. 24. Rom. 3, 2. 2. 2. Thess. 1, 10. 3, 2. 3. 1. Tim. passim); *γινωσκειν* (Act. 8, 30. 1. Joh. 3, 20. cet.) *περιτομη* (Phil. 3, 3. Gal. 5, 11. 12.), *χαρις, ευαγελιον, νομος, εργον* (Rom. 12, 6. 2. Cor. 1, 11. 1. Cor. 3, 8. 9. Rom. 1, 1. 2. 8. 9. Eph. 3, 6. 1. Thess. 3, 11. Rom. 2, 9. 15, 16. Phil. 2, 12. 13.) et, ne multa, ea igitur vocabula, quæ æconomiæ N. Foederis maxime convenire putes. Inter verba, quæ propter diversitatem significationum, quas in una eademque forma admittunt, variam lusui præbent ansam sæpiusque, ita adhibita, coram veniunt, nominatim observetur נָשָׂא, Gen. 40, 13. 19. Exod. 10, 13: 17. 19. Prov. 19, 18. 19. Jer. 23, 33. Hez. 12, 9. 12. 36, 6. 7. 8. cet. Præterea animadvertisse juvat in eadem ratione vocabulum עִיר urbem, Jud. 10, 4. Jes. 32, 10. ארץ terram, Jes. 1, 7. 2, 19. 21. 37, 18. Jer. 10, 11. ראשׁ, caput, cet. Gen. 28, 11. 12. 18. 40, 13. 19. Ps. 141, 5. שִׁיר cantus Ps. 69, 31. 32. Coh. 7, 5. אבד et עבד aliaque id genus multa, quæ continuare angustia temporis non sinit. In quibusdam etiam nominibus propriis, præ ceteris, ludificantur scriptores sacri velut in Ephraim, Mizraim, quæ ludendi caussa cuivis fere vocabulo consimilium radicalium conciliata reperies.

Ne quis autem tamquam parva et futilia fastidiat lusuum elementa, quæ in numerum exemplorum a nobis arcessentur, nonnulla hoc loco præmonenda videntur, quibus adpareat, illa etiam pronominibus et particulis

---

moravi, in 7. *θεου διδοντος ουδεν ισχυει φθονος, και μη διδ. ουδεν ισχυει πονος* et 48. *κονει μερωπων - - πονηρια.* Cfr. Thucyd. 2, 64. Sic, ut alia relinquam, comparari possunt Rom. 12, 3. Thucyd. 2, 62. Justin. Mart. Dial. c. Tryph. 1. C.

effici nonnumquam. Phrasis אני עני vel centies obvia, præcipue in Psalmis (40, 18. 69, 3. Thren. 3, 1. 8. cfr. Ps. 116, 10. 16.) Simili modo אתה עתה collocantur non semel, Gen. 26, 29. 1. Reg. 12, 4. Reliqua pronomina singullatim adferre omitto; exempla adire poteris Gen. 9, 12. 22, 2. 34, 23. Exod. 14, 14. 20, 28. Cant. 4, 2. Jes. 11, 16. Jer. 3, 22. Hez. 7, 11. 12.*) Ad id, quod de particulis monitum volebam, referas: Gen. 13, 11. Exod. 10, 17. Prov. 26, 17. 1. Sam. 4, 21. 6, 7. 14, 10. שם, ibi, sæpius, 1. Reg. 8, 16. 29. 9, 3. 11, 36. 14, 21. Gen. 2, 8. 1. Reg. 13, 10. Phrasis particularis לא־לו, frequens illa quidem, si quid video, in lusum abit, Hab. 2, 6. 1. Cor. 15, 39. 2. Cor. 8, 22. 9, 8. 10, 3.

Ad lusus in lingua hebraica eruendos aliquantum juvat attendere sonum consimilem, qui inter singulas litterulas intercedit v. gr. inter ג et gutturales. Itaque Hez. 37, 9. verba הרוג et רוח aures quidem meas feriunt; cfr. Jud. 14, 14, itemque מרעיש et מרגיז Jes. 14, 16. Hoc loco et ea adnotanda sunt, si qua in ejusdem verbi forma, littera tantum ludi ergo mutata, versentur, v. gr. שחק (צ) Jud. 16, 25. צעקה et זעקה Jer. 48, 4. 5. Omnino improvisum est, quod exstitit impotentia istorum pronuntiandi *Schibboleth*, Jud. 12, 6. neque huc referendum.

§. 9. III. Jam nisi operæ esse inutilis ea, quæ proxime exposui de singulis rebus atque vocabulis censeatur, neque a sonsilio nostro alienum putetur de discrimine quodam auctorum sacrorum in hoc, quod quærimus, negotio, quamquam id unanimi quasi consensu concentuque cuncti adament, paucis admonere. Quum enim satis constat iis, qui sacra temporibus longe distantibus scripserunt, neque verba semper eadem esse communia neque res easdem fuisse pertractandas, jam ex his, quæ adnotavimus modo, sequitur ut dispares aliquando mores apud illos dispar sequatur studium verbis ludendi. Quod studium quo propius ab incunabulis generis humani aberat, eo simpliciori instituebatur modo atque ad ætatem quasi puerilem magis congruenti. Primus liber mosaicus ut *genesis* adpellatur, ita continet permultorum etiam in verbis præcipueque nominibus lusuum γενεσεις. In Exodo multa quidem hujus generis reperiuntur nova, sed in reliquis Pentateuchi libris, quæ horum natura est, rariora sunt colludentia verba. Quod in complexu librorum historico-

---

*) Singularem ludendi rationem præbet pron. interrogativum מה Exod. 4, 2. 16, 15. 16. de quibus locis infra particulatim loquemur.

rum, quos proprie vocant, ferme valet idem, si ab uno e multis discesseris, librum dico qui *judicum* inscribitur. Hic enim argutiis salibusque scatet, neque id minime in historia illius Simsonis, qui ingenio jocoso mordacique indulgens in quolibet genere ludendi versatus et versutus est. Neque vero est cur credas reliquis libris historicis prorsus deesse indicia hujus, quæ maxime temporibus judicum illorum floruisse videtur verbis ludendi consuetudinis; quamquam fere non nisi in novitiis nominibus, modicis intervallis, emergit. In libris poeticis, quos proprie adpellant, rarior est exspectato et in carminibus Jobicis prope modum desideratur. Tanto frequentior in prophetis: pauca sunt eorum vaticinia, quibus non aliquis admixtus sit verborum lusus, atque quod Prophetas ait Hieronymus singulos habere proprietates suas, idem de hoc, in quo tam sibi placuere, genere verum est. Jesaias, ut omnibus prophetarum dignitate virtutibusque sermonis princeps, ita in hoc genere foecundissimus; Jeremias frequens in repetitionibus, frequens in verbis cum aliqua collusione; Hezechiel præ ceteris sibi placuisse videtur in verbis, quæ una tantum littera differunt atque nonnumquam rara sunt, conjungendis, itemque in allitterationibus multus est (v. cap. 7, 11. 13. 9, 4. 24, 4. 5. 6. 10. 11. 21. 30, 4.); Hoseas acer, acutus, concisus et, ut inquit Hieronymus, quasi per sententias loquens, loquitur haud raro per verba lusu quodam comprensa; et quid dicam de Micha, cujus vaticinii tertia prope pars est quasi lusibus verborum conflata? Neque est quod reliquorum singulos minorum gentium vates persequamur, *) nisi forte monendum videatur, Danielem licet ille quidem ab hac consuetudine non abhorreat, parcius tamen uti. Libri apocryphi vix paucos verioris exempli lusus suppeditant, nisi huc talia referre voles qualia leguntur Sap. 2, 23. 5, 10. 12, 25. 26.

In scriptis N. Foederis, quo propius ad Hebræorum loquendi mo-

*) Ne autem plura professi, quam quæ exploravimus ipsi, videamur, testimonia aliquot exemplorum de singulis perhibere lubet: Hos. 1: 4. 2, 2. 16. 17. 18. 25. 3, 1. 2 (?) 9. 7, 11; 12. 14. 15. 8, 3. 5; 7; 8. 9. 11. 9, 15; 16. 10, 1. 5. 10. 11, 5. 6. 7. 12, 9. 12. 13, 4, 5. 14; 15. (?) 14, 8. Joel. 1, 10. 12. 15. 17; 18. 19. (?) 2, 13; 14. 4, 2. Am. 2, 7. 8. 5, 5. 6, 7. 7, 7. 8, 2. 9, 1. Obad. v. 11, 12. 19; 20. Jon. 1, 4; 5. 5. 3, 7. 8; 9; 10. 4, 6. 7. Mich. 1, 4; 6. (?) 10. et sequ. ad fin. 2, 4. 6; 7. 8. 11. 4, 1. 2. 3; 4; 5. 6, 9, 10. 7, 4; 7. 11. Nah. 1, 20. 2, 2. (3.) 9. 11. 12 (?) 3, 17. Hab. 1, 6. 16. 2, 6. 9. 18. 3, 6. Zeph. 1, 5. 2, 4. 5; 6. 14; 15. Zach. 2, 4. 8, 17. 9, 3. 5. 10, 1. 2. 14, 5. Mal. 2, 3. 3, 1. Ex qua exemplorum dispositione, integre facta, studium verbis ludendi annorum decursu defecisse pæne dixeris.

rem accedunt singuli loci, eo magis illum etiam in verbis ludendi morem sapiunt. In quo genere Johannes ille, singulatim in Apocalypsi, suavissimus est, Paulus frequentissimus.

B.

§. 10. Jam in eo sumus, ut videamus, quantum diligens lusuum observatio aut ad res quasdam vocesque, quibus insunt, illustrandas, aut ad ea, quæ cum illis aliquam conjunctionem habent, exponenda proficiat. Non equidem is sum, qui ex nihilo queam multa amplificando efficere; tamen qualiscunque est hæc adumbrata moris hebraici imago, ex ea satis adparere speramus, quo tenderit ille et item emergere multa quæ veritatem confirment.

§. 11. Sunt, qui operæ pretium duxerint singulas voces phrasesque enumerare, quas singuli auctores litterarum sacrarum usurpant, quibusque elocutiones horum ab oratione ceterorum sive hebraica sive græca distinguuntur. Alienum igitur non erit exhibere nonnulla, quæ in hoc genere propter ludendi morem in L. S. enata exstant, insolita nimirum et a reliqui sermonis consuetudine nonnihil abhorrentia.

§. 12. Ad ἅπαξ λεγομενα primum animum vertimus, non quo quidquid eorum in aliquo ludendi copulatione deprehenderis positum, ex studio figuræ cujusdam adlusivæ sit profectum, sed quia nobis persuasum est non fieri potuisse, quin hoc de plerisque certe judicandum sit. Notanda igitur sunt: Gen. 15, 2. voc. בן־משק ob similem vocem דמשק, quæ ipsa, auctore Gesenio, adhibita est pro איש־דמשק vel דמשקי; 30, 20. duo זבד LXX δεδωρηται et זבל habitavit; ex Jesaia non pauca: 7, 19. הנהללים loca irrigua (sécundum Simonis) positum, ut nobis videtur, propter vocem בנחלי in e. v. præcedentem; 10, 18. נסס de quo quidem cl. Gesenius certis verbis judicat, quod ob lusionem cum v. מסס synonymo est usurpatum *) (cfr. verborum sonum in 9, 4. atque voces, quas loquimur, quasi semipartitas 31, 8. 9.) 17, 1. מעי locus ruderum propter מעיר, ut contestantur ad unum omnes qui hunc locum explanarunt; 25, 10. duo exstant quæ inter se proludere videntur, מתבן stramen, et מדמנה sterquilinium; 46, 1. 2. קרס curvus fuit, delabitur, ea cognato כרע **); e. cap. v. 8. התאששו LXX. ανδριζεσθαι; Luth. seyd Männer, recte ut opinor, suspicans, quæ mea est audacia, esse positum

---

*) Vide Ges. Der Prophet Jesaia übersetzt etc. ad l. c. **) Cfr. Exod. 35, 11.

vel verius compositum propter vicinam vocem זבר cujus cum nativa significatione præclare consentit; Vb. נצא avolando Jer. 48, 9. (ubi nota hujus verbi lusum cum ציץ et תצא); Hezechiel habet 17, 7. verbum כפן (intexit, arab. كفن nevit) ut conjicere licet ob גפן; 22. (cfr. Gen. 6, 14.) תלל forsan propter vocem mox ante sitam שתל; 24, 21. מחמל objectum desiderii, et loco, et significatu, ut arbitror, voci מחמד vicinum; omnino enim ab iis Codd. qui hoc posterius vocabulum bis legunt compluribus rationibus discedendum puto: ex quibus unam vel hoc prodere poterit, quod insuper adfero exemplum 34, 19. ubi מרפש, "locus aquæ conculcando turbatus," juxta מרמס collocatum; Joel 1, 17. עבש vocem quidem difficilem explicatu, sed in collusione positam cum הביש vel יבש expeditius interpretabimur; מרזח Am. 6, 7. per *convivium* potissimum verto, conformatum credens propter prolusionem vel ad מזרקי v. 6. vel ad duo illa vocabula, intra quæ interpositum est. E N. T. adferri possunt: Marc. 9, 18. *τριζει* juxta *αφριζει* positum; Luc. 12, 33. *ανεκλειπτον* conformatum forsan propter *ὁ κλεπτης* tamquam ex verbo *κλεπτειν* esset derivatum; Joh. 11, 44. *κειριαις* juxta *χειρας;* Rom. 2, 5. *μετανοητος* ex vicinitate voc. *μετανοια;* Gal. 5, 8. *πεισμονη* ex *πειθεσθαι;* *) Phil. 2, 19. 20. duo obeniunt *ἁ. λ.* quæ inter se colludunt, verba *ευψυχειν* et *ισοψυχον;* Eph. 4, 19. videtur *απηλγηκοτες* esse ad instar onomatopoeticorum delectum ob vicinam vocem *ασελγεια;* **) Tit. 1, 11. *επιστομιζω* ob v. *περιτομης* et Jac. 3, 12. *ἁλυκον* ob *γλυκυ* esse adornata, non tam censeo quam sentio.

§. 13. Ex congerie vocum formularumque loquendi insolitarum atque nonnumquam explicatu difficilium has subjicimus, quæ eadem ratione, quantum judico, usurpatæ in Codice S. exstant. De forma דמשק jam supra mentionem fecimus. Aliæ ex ejusdem analogia satis multæ præsto sunt. Mich. 1, 10. בית לְעַפְרָה "per paronomasiam" pro ב. עָפְרָה (nomine urbis Benjam.) dici, jam Simonis agnoscit (v. Ej. Lex. M. H. et Ch.); et ego vocabulum בכו eod. versu non dubito statuere esse nomen urbis aliûs cujusdam proprium in collusione cum verbo adposito captatum. Jes. 15, 9. mutatur nomen urbis Moabiticæ דיבון in דימון ut efficiatur collusio cum דם. Jes. 23, 3. videtur de simili caussa nomen Nili שִׁחֹר adhibitum. Ac dum in nominibus locorum exponendis occupati

*) Vide Winer l. c. et *T. H. Horne* Introduction to the Critical Study o. t. H. S. London 1839. II. pag. 492.

**) Cfer G. A. Harless Commentar ü. den Br. an die Ephesier, Erlangen 1834. p. 404.

sumus, observatam velim formam illam בתקוע Hez. 7, 14. grammaticam explicatione perquam difficilem, *) nec scio an optime expediatur, si ponamus, lusum verbi Jer. 6, 1. scriptori obversatum fuisse **). Vocem כֵּלַי (prodigus) Jes. 32, 7. eandem esse quæ כִּילַי v. 5. nihil dubitationis habet, si quidem ex analogia eorum, quæ supra memoravimus, liquet eam his vocalibus propter vicinam כֵּלָיו esse exstructam. Inter formas nominales, quæ rariores sunt, imprimis animadvertenda est pluralis עירים Jud. 10, 4. propter lusionem cum vocabulo ejusdem plane formæ, dissentientis significatus, verbi עיר urbis, cujus alias formæ pl. semper est ערים; (forma antiqua sing. ejusdem vocis עָר a Jesaia similem ob caussam recipitur 1, 7.); Jud. 15, 16. 17. forma חֲמֹר (i. q. חֹמֶר acervus) propter lusum priori homotonum arcessita videtur (Cfr. Exod. 8, (10.) 14. ***). Obadja v. 12. forma נָכְרוֹ hoc solum loco exstat (aliâs נֵכָר), ut arbitror, propter נָכְרִים v. 11. Eodem modo judicandum est de voc. כרת Zeph. 2, 6. propter כרתים v. 5. †). Enallagen generis ex studio, de quo quæritur, nonnumquam exstitisse, exemplo sit voc. חבל Zephan. 2, 5. 7. Cfer מעותיו Jes. 58, 19. Ex formis verbalibus, heic animadvertendis adnotavi: חשש Jes. 5, 24. 33, 11. Ibm 28, 20. קָצַר (pro קָצֵר) delecta nobis videtur ob lusionem cum insequenti vocabulo צָרָה quod quidem verosimilius tibi erit, si ultimam syllabam huic proxime præcedentis verbi המסכה voce urgebis. Forma niphal. verbi ערה semel legitur Jes. 32, 15. adhibita, meo judicio, ut consonantiæ complurium in hoc capite vocum inserviret. Vocabulis וַיָּרֻם תּוֹלָעִים Exod. 16, 20. adlusionem subesse putamus atque sic Gesenio, qui existimat, punctatione posterioris a regula grammaticali (יָרָם) deflectente significatam esse derivationem quandam ex רמם (a רִמָּה denominato) adridemus. Atque iis, qui formam יָרוּץ Jes. 42, 4. vicem formæ fut. רצץ supplere ferunt, adstipulamur, ea ratione ducti, quam ex collusione manifesta cum רציץ v. 3. desumsimus; et quidem universus hic locus, si quidem lusum vb. eumque duplicem, quo continuatur, ob-

---

*) Vide *Ewald* Gramm. §. 477.

**) Cfer *Hävernick* Comm. ü. Ezechiel p. 90.

***) De hoc loco, ab aliis aliter explicato, ab omnibus fere laudato, vide verba clar. Hunth in notula ad *Lowth* de Poesi S. Hebr. ed. cit. p. 243. et *v. Herder* vom Geist der Ebr. Poesie l. c. p. 245.

†) V. *Gesen.* Lex. p. 454. et *Ewald* Die Prophet. l. c. p. 367. cujus in h. loco verba imprimis digna sunt, quæ considerentur. Cfr. formulam הכרתי והפלתי 2. Sam. passim.

servaveris, aliam clarioremque, quam quæ a plerisque interpretibus recepta sit, explicationem sibi induit. Hez. 24, 10. 11. nonne voc. רקה quodammodo effecisse existimari potest, ut per quandam transpositionem verbum רתח in רקח mutatum sit? *) Singularis forma est מוּעֶדֶת Prov. 25, 19. de qua jam veteres Grammatici ambigunt, quo sit referenda. Triplicem explicandi viam iniit cl. Gesenius. Nobis vero omnis hujus verbi tollitur difficultas ad collusionem quandam cum מַעֲדֶה in v. 20. adtendentibus. Etenim si ex iis, quæ supra adnotavimus, exemplis datur proclive, eo, ut conformatio efficeretur ambarum vocum, (ֶ) transiisse in (ָ), forma adest partic. conjugationis Pyal. **). Voc. וַיְמֹדֶד Hab. 3, 6. sive significatio *quassavit*, quæ nobis placet, sive *emensus est* tibi potius arrideat, lusionis causa ad verbum עָמַד positum existimamus. Vocabula autem עקד et נקד Gen. 30, 35. 31, 10. seq. תאם Exod. 26, 24. 36, 29. נשוי Ps. 32, 1. (pro נשוא); גי juxta גיא Zach. 14, 5. קוע, רתח Hez. 23, 23. †) 24, 4. 5. *κυλλος* Matth. 15, 30. cet. *σκοπει* Luc. 11, 35. aliaque, quæ in eandem contentionem et discrimen venire possunt, non nisi ita quasi digito monstrare per tempus licet. Unde vero potius delectum vocis משאת Jer. 6, 1. quam ex ludendi quodam studio repetendum existimas? In chaldaicis illis verborum lusibus, quibus Jer. 10, 11. conflatus est, forma ארקא juxta ארעא obvia fit ususque verbi עבד pro עשה conspicitur.

§. 14. Ad hæc tamen, quæ jam exhibuimus, exempla, aliquot ejusdem quidem veluti naturæ adferenda sunt verba, de quibus docti homines plurimum ambigunt. Hi autem, ut fit, voces, quæ quasi ægre valent atque invisæ sunt, suffragio suo excludunt neque semper aliam in locum exclusæ substituentes. Qua medicina nihil mihi quidem suspectius est. Sunt igitur, qui formam vocabuli שְׁאָלָה Jes. 7, 11. non ferentes ***), ut in שְׁאֹלָה immutetur jubeant. At verecundius suspicor eam ipsam per proludendi quandam rationem partim ad verbum שאל prægrediens, partim ad לְמַעְלָה subsequens, exstitisse tamquam mitiorem. Neque mutatione ††) voc. שדים Jes. 32, 12. opus esse, vel ex collusione aliqua, quæ huic vocabuloque insequenti שדי intercedat, probabile est.

*) V. *H. A. C. Hävernick* Comment. ü. den Proph. Ezechiel, p. 395.

**) V. *Gesen.* Lehrgeb. der hebr.-Spr. §. 93. p. 315. †) V. Ges. Lex. p. 813.

***) Umbreit, Ewald, cet. post Aquilam, Symmachum, Theod.

††) Gesen. (Comment.), Hitzig, pl.

Cfr Gen. 49, 25. ubi eadem voc. formâ proluditur. Cfr item Joel 1, 10. In eodem cap. Jes. v. 19. est ברד ἅ λ. et difficultate sua non caret, ut 1. Codici Kennic. cedens prope legeres ירד *); sed potius in officio erga textum manemus, aliquam colludendi rationem ad v. ברחה respicientes. (Cfr, sis, omnino Exod. 9, 19.) Quid propius ad probabilitatem accedere potest, quam quod כס ἅ. λ. Exod. 17, 16. legendum est נס? Sed nihil equidem mutandum suaserim, quum Ps. 32, 1. similiaque loca probe consideraverim. Qua eadem ratione ducti conservare studebimus v. שׂורה Jes. 28, 35. צרי Jer. 48, 5. **). הבו Hos. 4, 18. aliaque fere inexplicabilia dicta, quorum cum vocibus vicinis consonantiâ, quæ est in caussa cur nonnulli ea e textu abrogata velint, nos potissimum ad ea non adimenda adducimur.

§. 15. Ratio paulo major est eorum, quæ differentiam variantium lectionum, quibus valde quidem sacræ abundant litteræ, attingunt. Quam rem sub umbra cujusdam auxilii lusuum in vocabulis non nisi paucis perstringere licebit. Gen. 30, 11. 13. videtur læta illa mater pari ratione gaudium suum significare super natis, quorum nomina lusui consimili subjiciuntur, proinde lectio *του* k'tib בגד probabilior censenda nobis videtur. Ad quæstionem מַזֶּה Exod. 4, 2. respondit ille מַטֶּה, cujus prolusionis præcipua vis, meo quidem animo, exinde exstitit quod vox quærendi ita fuerit pronuntiata, ut ad similitudinem consonæ vocis respondendi prorsus accesserit. Prov. 23, 26. lectionem k'tib תרצנה justam agnoscere etiam impellor voce similiter sonante זוֹנָה v. 27. Mos enim ita ex antecedentibus verss. verba similiter adsonantia excipiendi auctori Proverbiorum familiaris valde est. (cfr v, 22; 23. 15, 14; 15. 20, 16; 17. 20; 21.). Jam quare lectionem *του* k'tib לא Jes. 63, 9. legitimam atque nativam agnoscam, sed *το* k'ri שׁוט Jes. 28, 15. *τω* k'tib præferre cogar, facile adparet. Pari modo disceptat Gesenius (v. Lex. ad h. v.) de lectione תגעש 2. Sam. 22, 8. *τῃ του* k'ri præferenda.

Duo addam exempla difficilioris naturæ. Prov. 23, 5. duplici laborat incommodo lectionum *του* k'ri et k'tib in una eademque voce עיף variatarum. Nibil certum de formis restituendis pono: conjicere tantum, etsi audacius, liceat, verbo priori התעיף non subesse significationem, in quam interpretes una voce, quod sciam, consentientes recipiunt

---

*) H. G. Lindgren, Prof. Jesaia - - commenterad. Upsala 1843. p. 169.

**) Quod secundum LXX elidi vult Ewald vide Ew. Die Proph. l. c. II. pag 119.

se, volandi, sed lassandi desiderioque cogendi, tamquam ad radicem עִיף sit revocandum. Ad quam conjecturam ex indole proxime antecedentis versiculi nominatimque ex verbo תִּיגַע potissimum impellor. Nam ejusmodi verborum consimilium quasi vinculo haud raro hujus libri auctorem, quem ubique certo ordine carere nonnulli putant, seriem quorumdam versuum aptare consuevisse, modo ante monuimus. Tum quoque magis expedita evadit constructio cum præf. ב. (Cfr. Hos. 9, 11. ubi allusio in eodem verbo עִיף latet). Hæc si vera sunt, insignem habemus collusionem in verbis, de quibus agitur, significatione volandi posteriori reservata. Ad fidem huic conjiciendi rationi quodam modo conciliandam alio utemur exemplo. Jer. 5, 8. lectio k'tib מְיֻזָּנִים, ut mihi his rationibus videtur, comprobanda est. Primum colludendi rationem vbis יַשְׂבִּעַ et אַשְׂבִּעַ v. 7. (nam ita post plerosque legendum); deinde זוֹנָה v. 7. et מְיֻזָּנִים v. 8. intercedere, satis apparet. Quid autem erat huic consuetudini Hebræorum convenientius quam ita extrema cum primis contexere, ut v. מיזנים (a st. זון alere, pascere, cibare) ad significationem verbi שׂבע sese adplicaret? Quamobrem cum Gesenio vertimus: "equi pasti" i. e. pingues. (per metonymiam consequentis LXX habent θηλυμανεῖς).

§. 16. Proximum est, ubi in vocabulis quibusdam, eorumque aliquot incertæ significationis, lexicographi ambigunt, quanam ex origine potissimum illa sint repetenda. Videamus igitur num inter lusus verborum in L. S. tam frequenter obvios ii sint, qui ad notiones aliquas, quæ aliquantum abstrusæ sunt et reconditæ, illustrandas conferant. Voc. יָעֵן alii deducunt ex st. יען (avidus fuit), alii ab ענה propter clamorem quo struthiocameli "alternatim respondent." Quam derivationem licet reprobet Gesenius, despiciendus tamen non est lusus, qui Jes. 13, 21. 22. hoc ipso verbo instituitur. Quamquam concedimus in hoc exemplo rationem, quam respicimus, neque ligare neque solvere. Pendebat enim sæpenumero non tam ex nativa verborum significatione quam ex delectu quodam ad id, quod requirebatur, apto. Quam ob rem permulta nomina, imprimis propria, vario modo in allusionibus usurpata et fere derivata invenimus. Documento sint נוח (Gen. 5, 29.), Ephraim (Gen. 41, 52. Hos. 9, 11. 13, 15.), Pharao (Ex. 8, 5. (9)), Beelzebub et Beelzebul, quod et ex בעל et ex בלע (cfr. LXX ad Jes. 16, 8.) repetitum reperimus, et apud scriptores N. F. tamquam ex vbo βαλλειν esset profectum; ita quoque nomina βαλααμ, βαλακ sicut ex horum collusionibus adparet, Luc. 11, 15. 18. 19. Apoc. 2, 10. 14. Atqui in locis

vel *δυσνοητοις* et obscuris explicandis non omnino infructosa censebitur talis vocabulorum collectio atque consideratio. Itaque quum filum totius orationis Hannæ 1. Sam. 1. 2. capp. in qua quidem non semel ita verbo שׁאל utitur, ut oriatur cum eodem aliqua collusio (cfr. 1, 20. 27. 28.) rite perpenderim, non video quare ab illius propria significatione recedendum putemus, id quod Genesio, De Wette aliisque placet in vocabulis שׁאוּל 1, 28. et שׁאלה 2, 20. Æqualis fere usus aliquot vocum subsimili stirpe deductarum Jes. 1. (זר, כר, שׂר) comprobat mihi nulla opus esse mutatione vocabuli זרים v. 6. *), quippe quod cum aliis verbis ejusdem significationis conjunctum exiguo tantum a נָזֹרוּ ejusdem formæ disjungatur intervallo. Atque, ut in iisdem commorer, verbum זָרִים v. 7. repetitum eodem modo mihi discernendum videtur, quo græcum illud *ξειvος* et latinum *hostis*, nimirum ut et hospitis et hostis significationem recipiat **). Phrasin מַר לִי מָר Jes. 38, 17. ita explicat cl. Lindgren, ut vocem מָר ipsam radicem verbi "mutari," quam inusitatam dicunt, heic præsto esse judicet. Ingeniosum est illud quidem et a nobis probatum propter colludendi rationem, quam vel idcirco huic phrasi inesse putamus, quia eadem ipsa ratio in altero hemistichio versûs deprehenditur. Idem, eadem ratione ductus, פחד Jes. 24, 17. non modo parvorem sed pavoris etiam aliquod instrumentum, crepitaculum significasse conjicit. Contra ea vero ab illo equidem dissentio quum Jes. 32, 4. vocem תמהר cum infinitivo constructam *intra breve tempus* exponit. Nimirum hæc ipsa vox in ea collusione versatur cum נמהרים e. v. ut ne dubium esse queat *dexteritatis* significationem innui. In hoc autem genere quum subsidia quæramus explicationis, horum nonnihil foecundior erit paronomasiarum, quas proprie et significanter ita adpellant, ratio. Quamquam magna cautione opus est, ne fines suos transgrediatur et vaga fiat. Glassius ***) igitur quum ex vocabulis ejusmodi Gen. 9, 27. suppetias ferat, comprobaturus, verbo פתה hiph. significationem *dilatandi* præ altera, quæ nonnullis interpretibus magis placuit,

---

*) v. Lindgren Commentar l. c.

**) Cfr. Ovidii Heroid. 17, 10. In Lexicon suum latine elaboratum Gesenius introduxit verbum, de quo agitur, significaturum *imbrem vehementum, inundationem*; ad quam novitatem qua necessitate ductus fuerit, non equidem intelligo (cfr. Hos. 8, 7. Ob. 11, 12.).

***) Phil. Sacra p. 1998. Idem perbene disputat de paronomasia, quæ exstat Matth. 16, 18. tanti momenti, ut adscititia et fallaci ejus interpretatione magnas et inanes cogitationes Romani exstruxerint. V. et *S. Bocharti* Geogr. Sacra, p. 168. s.

alliciendi persuadendique vindicandam esse, haud improbe egisse videtur, sed quæ ultra disputat ad laborem frustra susceptum redibunt. Clariora explicationis momenta comprehendunt exempla quale Gen. 31, 47. 49, 8. Jes. 65, 11. Plurimum autem intersit si ad significationem verborum, quæ non nisi semel aut raro leguntur, definiendam aliquantum inservire possint hæ, quas proprie paronomasias adpellamus. Periclitabor in uno exemplo quid ita sit percipiendum. De origine verbi זבל ambigunt lexicographi, quamquam ei significationem *habitandi* addicant (derivans id conjecturâ Michaelis ex زول, Ges. dicens i. esse q. דבל, cet.); animadvertentibus vero ad Gen. 49, 13. significationem eam, quam probarunt illi, videre nobis visi sumus satis definitam. Nonnulla item in amphibolia prope inexplicabili versari, sunt qui credant, v. gr. nomen Benjamin Gen. 35, 18. in quo ימין non solum dextram designare, sed innuere etiam significationem *dierum* (chald. = ימים) dicitur, unde varia quoque redundat explicatio vocis אוני *).

§. 17. Hanc vero rem, quia in disquisitione nostra gravissima est, pluribus persequi placet, ut videamus, quomodo in iis enuntiationibus, quæ antanaclasin, quam proprie dico, continent, conspiciatur præcipue. Verba igitur בפרע פרעות Jud. 5, 1. varias admiserunt explicationes. Verumtamen indolem totius libri, (nec minime hujus ipsius capitis), qui tot lusibus verborum abundat, intuens, eorum sententiæ adstipulor, qui heic adlusionem fieri ad injuriam principum istorum, in quos animadvertit Debora v. 16—23. putantes, vertunt: principes dissiparunt se vel, ut a nobis exprimatur lusus ipse, "*duces seduxerunt se*" (cfr. Jes. 1, 22.). Prov. 14, 24. אולת כסילים אולת "principatus i. e. honores stultorum stultitia sunt," interpretandum existimo non modo auctoritate Cl. Gesenii, qui, lusisse, inquit **), videtur scriptor in duplici ejusdem vocabuli significatione, sed quia cum hoc loco enuntiationes non multum dissimiles i. gr. cap. 5, 19. 20 comparavi. Joh. 3, 8. *το πνευμα* prius esse idem quod *ανεμον* per ludendi rationem mihi quidem tam certum est quam quod certissimum. Hoc contra Cl. J. A. Bengelium, quem interpretem pie veneror præter plerosque egregium, animadvertere cogor, quippe cui placeat de Sp. S:cto vocem illam heic quoque proprie esse sumen-

---

*) Otto v. Gerlach, Das Alte Testament mit Einleit. und erkl. Anmerkungen. Berlin 1843. I. pag. 148.

**) V. Lex. M. hebr. et ch. p. 23.

dam *). Universus enim Scripturæ, ut recte Ernesti ad h. l. severior Bengelii judex, monet, et sermonum Christi præcipue, tenor talis est, ut verbis ludere videri vel centies queant, ubi elegantia vere divina subest **). Cfr. Koh. 11, 5. Hez. 37, 9. omnino cum loco cit. comparandum (voc. רוח et singulariter et pluraliter ibi occurrit). Et quidem "Johannes in eodem" vocabulo 1. Ep. 5, 6. versatur ita, ut diversas id comprehendat significationes. Atque si in hac serie causarum vocab. *πυρ* Marc. 9, 46. 47. adspicietur, totus hic locus aliqua gravitate nec ullo tavtologiæ vitio adfectus reperietur ***). Hoc autem aliisque vitiis permultorum locorum expositio laboret necesse est, nisi huc referantur, velut Jes. 58, 10. Jer. 8, 4. Hos. 8, 11. Luc. 11, 36. Joh. 1, 10. Digna vero, ad quam speciatim adtendas, est mentio illa de מָן Exod. 16, 15. Sunt qui ita de hoc loco disserant, ut censeant, enuntiationem מן הוא nihil omnino esse nisi illam in v. e. מה הוא conspicuam. Quæ explicatio quare mihi non placeat, modo exposui. Sit igitur ut מן per *donum* incognitum reddatur, modo ne quis vocabulis proludentibus vitium tautologiæ tribuat. Cfr. 4, 2.

§. 18. Horum præcipue, quos proxime examinavimus, lusuum ea natura est, ut magnam partem figuris quibusdam grammaticis inserviant, qua quidem re probe perpensa durities ea, quæ nonnumquam illis inest, tollitur. Serviunt enim haud paucis in locis *zeugmati,* ut adparet ex Joel 2, 13. 1. Sam. 15, 27. 28. 1. Cor. 11, 24. (in quibus omnibus exemplis sigillatim animadvertere lubet, una fere eademque voce *frangendi* confici (קרע, *κλαειν,* ad quæ addi potest quartum ex protevangelio Gen. 3, 15.), Luc. 21, 32. 32. *ellipsi:* Exod. 32, 2. Ps. 18, 42. 80, 9. (פנה sc. דרך Mal. 3, 1.). Quæ de ellipsi posui, ad hæc potissimum adjungo locum Matth. 5, 21. 22. quem sic procliviorem putaverim explicatu quam pro magno interpretum dissensu. Etenim quum vocabulo repetito *τη κρισει,* quantum video, ea ludendi ratio subsit, qua priori loco ad judicium humanum, posteriori vero ad judicium Dei revocetur; eandem vocabulis *συνεδριω* atque *την γεενναν του πυρος* pro-

---

*) Gnomon Novi Test. Tüb. 1773. p. 387. In contrarium explicationis errorem abiisse videtur Hengstenberg, Christologie. Berlin 1835. III. p. 667. Cfr. Hävernick l. c. p. 588.

**) Theol. Bibl. ad h. l.

***) V. Olshausen Commentar ad h. l. qui nobiscum de hac re congruit.

pter ellipsin subesse haud temere existimaverim. Porro *constructioni prægnanti,* ut loquuntur grammatici, Jes. 38, 17. 66, 4. 1. Cor. 15, 28. Neque locum Marc. 9, 49. si huc referatur, ad expediendum difficilem putaveris. Consulunt etiam tropis et figuris rhetoricis, sed horum mentio ad aliam partem opusculi pertinet.

§. 19. Hoc autem loco facere non possumus, quin paucis moneamus de allusionibus quas proprie dicunt, quoad cum iis, de quibus agimus, aliquam cognationem habent *). Etenim ejusmodi plures delitescere in litteris S., quam quæ a nobis indagari queant nemini, qui his litteris vel minime imbutus sit, non erit persuasum. In singulis nominibus et verbis versabimur primum. Jer. 13, 19. voce שְׁלֹמִים pacatorum, ut opinatur Glassius **), ad nomen *Hierosolymorum* tacite adluditur; et verbis *ἱερουσαλημ εσται πατουμενη* Luc. 21, 24. (coll. cum Ap. 11, 2.) adlusionem subesse ad nomen urbis vetus יבוס non absurde conjectum putaveris ***). Adpellatione *βαρ Ιωνα* Matth. 16, 17. non magis proprium nomen quam symbolicum (יונה columba) significari haud inepte, me judice, ponitur †). Sunt, qui credant vocem לחם Jud. 7, 13. propter amphiboliam, qua scilicet significare dicatur et panem et bellum, explicandum esse ††). Sed certius mihi est Hos. 8, 4. המליכו, Zeph. 1, 5. מלכם reliquisque similibus locis ad istum Moloch adlusum esse; Hos. 10, 8. און ad Bethel (cfr. 4, 15.), et, conjectura audaciori, ibm v. 10. שתי עינתם ad Jud. 16, 28. Quo eodem modo autumo a personis quibusdam ad sua ipsorum nomina adludi sæpe; v. gr. Gen. 31, 38. ad proprium nomen Rachel; 49, 19. voce עקב ad nomen ipsius commonitoris; Cant. 1, 5. 7. ad nomen Salomonis; 1. Sam. 14, 10. ad nomen Jonathan; Hos. 1, 7. ad nomen prophetæ loquentis; Joh. 1, 16. ad nomen apostoli scribentis; 1. Cor. 15, 9. epitheto *ὁ ελαχιστος* ab Apostolo sibimetipsi adjecto (cfr. 4, 3. Eph. 3, 8.) ad nomen *παυλος,* quemadmodum alter

---

*) Hic etiam ratio monet comparare ea, quæ de vi et natura hieroglyphorum adferuntur. Vide imprimis *G. Seyffarthi Rudimenta Hieroglyphices;* Lipz. 1826. pag. 7. v. gr. "secundum paronomasiam, inquit, pennæ imago significat *loqui,* quoniam Arab. عبر inter alia est *loqui* Hebr. et Syror. *penna* אבר, ܐܒܪܐ sonat."

**) Phil. S. p. 1986.

***) V. J. A. Bengel Gnomon ad Luc. 21.

†) V. Olshausen l. c. p. 574.

††) V. Glassii Philol. S. p. 2008. Cfr. v. Herder l. c. p. 80.

Saulus vocatur כּוּשׁ 1. Sam. 31. vel quia filius קִישׁ fuit (verbis Glassii *) utor), quæ vox per paronomasiam in כּוּשׁ conversa - - atque sic is est, de quo sermo instituatur Ps. 7, 1. Ac si in Mich. 1, 14. 15 moraberis, haud improbabilis tibi videbitur conjectura, scriptorem propter nomen urbis natalis bis in eodem etymo versari. Neque abhorret ab adsuetudine hebraica, si quis Apostolum Rom. 1, 1. Gal. 1, 15. ad etymon Pharisæi (cfr. vbi collusionem Rom. 1, 4.), Gal. 1, 6. (*μετατιθεσθε*) ad etymon quoddam *γαλαται* et sic in aliis adlusisse arbitretur. Atque quid est, quod multis disputetur de voce *ναζωραιος* Matth. 2, 23. si face quadam adlusionis verbi uteris idque ad Jes. 11, 1. deducis? Et quidem quum verba litterarum S. non tam numerare quam ponderare nulla re magis quam more in vocabulis ludendi docemur, suspicor Exod. 14, 14. 15. verba הרשׁ hiph. et צעק adcuratius esse comparanda (cfr. Jes. 21, 11.); Mich. 7, 3. ad geminam significationem voc. הוה (et desiderii et perniciei, coll: voce vers. ultima) adludi; ac phrasin הסתר דבר Prov. 25, 2. quippe solam illis, quibus rex quisquis et omnia scrutans et ipse inexplicabilis describatur, oppositam **), in eum modum credo interpretandam, ut auctor duplicem verbi hiphil. significationem, et celandi et remittendi, adlusisse videatur. Hanc rationem persequenti maxime mihi arrident ea, quæ de voc. *αξιος* et *οικια αξια* ingeniosissime disputat nostras clar. C. A. Agardh ***). Hinc clarior mihi lusus in vocabulis Matth. 10, 11—13. facta est. Hinc ad credendum adducor nomina vallum Josaphat Joel 4, 2. *αγαρ* Gal. 4, 24. †) aliaque his æqualia non tam proprie quam symbolice esse intelligenda. Quousque tandem sacros scriptores in hoc genere processisse nonnulli putent, exemplum demonstrabit, quod ex Lexico Frosteriano desumtum, circa 1. Cor. 1, 23. 24. videlicet quattuor vocabulis ad unius diversas significationes adludens, recitat Glassius ††) et post eum Winer.

§. 20. A singulis jam transferamus nos ad locos quosdam allusionibus fusius occupatos. Duobus locis Ap. Paulus se generi loquendi allegorico adcommodasse, disertis verbis exponit 1. Cor. 4, 6. Gal. 4, 24.

---

*) Philol. S. p. 1986.

**) Cfr. *Ewald:* die poetischen Bücher des A. B. Göttingen 1836. IV. p. 145.

***) Om hebreernas Skrift- och bok-väsende (in Theol. Qv. skrift af H. M. Mellin och E. G. Bring) Lund 1843. Suppl. p. 122 seq.

†) V. Aug. Pfeifferi Critica Sacra. p. 507.

††) Ph. S. p. 2002. Cfr. Winer l. c.

et in utroque collocatio verborum exstat, quæ ad nostram disputationem pertinent. Priorem consideremus. Manifestum igitur est, illum, quæ primis duobus capitulis exorsus est, ea tertio quasi contexere. In hoc autem ad singula per imagines descendit et dictis quibusdam, me judice, allusivis, sensa circumvestit. De Apolline autem imprimis verba faciens diserte, ut mihi videtur, verbo *φθειρειν* v. 17. e. q. *απολλυειν* 1, 19. ad nomen illius adludit *). Quapropter non tantum ad sermonem universum sed ad verba singula referendam censemus enuntiationem illam 4, 6. Proinde si quæsiverit quispiam, quid sit quod tot in capite isto cumulet imagines, non dubitamus respondere per quandam ludendi rationem verba singula, veluti *εποτισα, ε,* v. 2. 6. et alia v. 9. 17. inter se esse colligenda. Adeoque permultos ab aliis ad alias res imaginesque transitus, quibus tam scatent L. S. atque quædam Paulo imprimis familiaria *ὑπερβατα,* expeditius explanabis, si lusus verborum quibus haud raro efficiuntur, oculis animoque collustrabis. Nam non modo capita quædam sed totum nonnunquam librum biblicum huic rationi superstructum invenies. Hoc v. gr. in libro *Hoseæ*, in quo, licet variis, ut supra significavi, verborum lusibus referto, omnia prope ad duos illos in nominibus Israel et Ephraim, tamquam ad cardinem quendam referuntur; veluti in Ep. ad *Philemona* omnia fere in hoc nomine reposita sunt. Atque in singulis partibus quid huic caussæ convenientius est suaviusque quam quum ad lusum instar proberbii compositum **) עצור ועזוב 1. Reg. 14, 10. pluriesque in libris regum repetitum, tandem verbum עזר (2. R. 14, 26.) nomenque Assariæ, cujus paullo post futura sit mentio, accedat itemque nova quadam inversione attingatur 17, 4.? Quis vero est, qui si comparationem 1. Sam. 3, 2. et 13. instituerit, non cernat in hoc per vocabulum כהה egregie ad כהות in illo adludi atque sic concedat reapse interpretationem Gesen. verbi Pi. hoc loco factam ("increpavit," vide Lex. Ej.) versioni Lutheri, qui quamquam caussam a nobis adlatam ignorasse videtur, significationem propriam attingit, esse postponen-

*) *Grotio* ad idem nomen Ap. 9, 11. adludi credenti minime credimus. Cfr. *Pfeifferi* C. S. l. c. Ceterum quomodo in varios lusus Judæi, hoc ipso nomine laborantes, abierint, si quis scire cupiat, eum delegamus ad *Gfrörer,* qui et ipse defendit, nomen *βααλαμ* i. q. *απολλυων* numero 666 Apoc. 13, 18. omnino contineri. V. Das Jahrhundert des Heils, Stuttgart 1838. II. p. 403 s.

**) In hoc quidem verbo (עזב) ludendi ratio sæpius adhibetur, qua si usus fueris in loco difficili Exod. 23, 5. explicando, forte non errabis. (Vide Lex. Ges. ad h. v.). Atque mihi quidem ea nonnullo etiam ad contextum Jes. 17, 2—9 enucleandum adjumento fuit.

dam. Ad v. 2. 3. cfr. Jes. 42, 3. 4. Simili modo verba פרצו et יפרצו Hos. 4, 2. 10. comparata velim. Heic porro adtendas ad Jer. 1, 10. 12. 31, 28. Matth. 7, 1. 6. (ubi contextum rerum ex vocabulorum *κρινειν* et *υποκριτα* comparatione apparere arbitror) 11, 19. 25. *) Joh. 21, 7. 18. Rom. 12, 3. 12. 16. Ad hanc etiam operis partem allegavi Prov, 2—9, unde planior mihi comparata est horum locorum, imagines illas nobiles אישון עין et ליל .א includentium, explicatio, quam ultra exponere operis fines non sinunt. Rationem autem explicandi, quam ita allusionibus observatis sublevatam habemus, etiam dilucidius docebitur, si quis ad voces *αλαλαζον* et *λαλω* 1. Cor. 13, 1. 2. animum convertet.

§. 21. Longum est homonymiarum, antiphrasium et si qua alia sunt ejusdem indolis cum tenore disquisitionis nostræ conspirantia rationem reddere, præsertim si tanta eorum copia sit quantam perhibent nonnulli. Quod nego. Glassius hanc rem copiose tractavit, **) et quamquam multa, quæ huc absurde referebantur, exempla reprobavit, ipse tamen nimium "*μυστηριωδη*" admisit. Ad vocab. בכל sæpius obvium, quod contrariis omnino significatibus adfectum est, illustrandum, præeunte illo, lusum verborum a Germanis factum "Hoffen und harren macht manchen zu Narren," adtulisse juvat. Patrem illum voce שכם, (portione reposita) Gen. 48, 22. per quandam homonymiam nomen loci Sichemi ludibunde comprehendisse, ***) mihi ad universam insequentis capitis indolem potissimum adtendenti verisimile est. At contra vocabulo נצרים custodibus vel destructoribus (Jer. 4, 16.) vatem ad nomen Nebucadnezar, ut Glassius adfert, adlusisse — hoc et talia exempla producere minime nobis placuerit, quippe quæ nullo in vicinia posito verbo confirmentur.

§. 22. Consequens jam esse videtur, ut quæstionem eamque gravissimam, num universali, quam dicunt, isagogæ in S. litteras illustrandæ prodesse existimentur lusus verborum, leviter, ut et operis et virium nostrarum circumscriptio jubet, perstringamus.

Quanta quamque eximia fuerit Hebræorum in scriptis suis undequaque conservandis opera, satis, ut ego non dicam, constat. Quibus

---

*) De transitu hujus loci cfr, sis, ea quæ ad illum loquitur Olshausen l. c.
**) L. c. p. 1506 sequ. Vide etiam Sanctii Minerva p. 406 sequ.
***) V. Gerlach Das Alte Test. I. p. 188. Cfr. Class. Ph. S. p. 1985.

adeo prospicientibus, ne minimo quidem jota sublato quid detrimenti caperent eorum litteræ, permagno necesse est foret subsidio in tot verbis lusus observasse, præsertim quum ὁμοιοτελευτοις confluxissent *). Neque enim facile erit dicere, quid diligentiæ ac fere religioni eorum magis inservire potuerit tum, quum eas res, quas iis demandaverat Deus, in memoria tantum condendas haberent, nondum vero litteris consignatas, **) neque tum, quum volumina των ספרים evolvere liceret. Etenim quanto magis verba illa, quibus ratio ludendi suberat, ita erant comparata, quo aut aures fortius ferirent, aut animum suavius perfunderent, tanto citius memoria atque mens læsa, si quid fuisset corruptum, poterat detegere. Quam quidem rem quodam modo in causa fuisse credo, quod in iis vocabulis poene innumerabilibus, quibus quasi quædam fides lusuum præstructa est, rarius tantummodo textus vitiatio deprehendatur.

§. 23. Vix in hac brevitate de inscriptionibus monere ausim, quia non nisi quadam conjecturæ divinatione in quibusdam earum lusus, quos dixi, residere suspicor. Quum autem hebræi ad memoriam monumentorum quorumvis posteritati collusione nominum propagandam tam multam navarunt operam, mirari soleo, num hanc operam in verbis, quibus singuli inscriberentur libri, plane neglexerint. Obversatur animo vox illa משא et simul multorum doctorum hominum (Hieronymi, Lutheri, Ewald, cet.), opinio, qui eâ in inscriptionibus complurium miraculorum minacium non tam *effatum* quam *onus* ideoque *oraculum molestum* notari voluerunt. Quod a mea quidem mente non abludit, præsertim quum vaticinia Jes. 13. 15. 17. 21. 30. diligentius considerem ***). Atque ejusdem amphiboliæ, ut dicitur, ratione, qua uti videbatur id vocabulum, adductus sum ad similem suspicionem in verbo משל Prov. 1, 1. cet. considerato, (Cfr. Jes. 14, 4. 5.). †) Sed vereor ne nimiæ verborum captationis me su-

---

*) V. Agardh l. c. qui hoc quoque argumentum paucis attigit, p. 98.

**) Ea, quæ respicimus, maxime confirmantur, si verum est, quod nonnulli defendunt, pleraque antiquiorum litterarum monumenta, nedum totam poene antiquitatis historiam, carminibus esse conflatam. Nos, qui minime idonei judices sumus, quid in hac caussa sit definiendum, commonitum tantum volumus de maturis, quæ reperimus, vestigiis non tam lusuum verborum quam adliterationum, quæ genus carmiminum prodant; v. g. Gen. 1, 2. 14. 15. 17. 2, 9. 11. 11, 3. 12, 1. 2. 13, 11. Cfr. Isidor. Hisp. Orig. Lib. 1, 7. "omnia, inquit, prius versibus condebantur: prosæ autem *studium* sero viguit." Lowth l. c. p. 48.

***) Confer *Hävernick* Einleitung in d. A. T. II. 2. p. 97.

†) Ipsam inscriptionem *canticum canticorum* ab iis, quæ sic defendere studui, non multum abesse, facile mihi concedetur. Ne autem de his rebus admodum

spectum faciam, si mihi in suspicionem aliquam venisse confitear, titulum Ps. XXII. אילת השחר, unicum illum quidem et singularem, habere nescio quod adludendi commercium cum voc. אל v. 1. atque אילותי v. 20.

§. 24. Ex eorum commentationibus, qui indolem et auctoritatem singulorum librorum investigarunt, nonnumquam adparuit, quam varie de lusibus verborum existimatum sit. Quum enim alii dicunt ex iis lucrum haud contemnendum ad judicium de auctoritate cujusvis libri adfirmandum redundare, id alii negant summaque ope renituntur. Quid nobis, haud extrema quæque intemperanter urgentibus, potissimum placeat, ex aliquot exemplis elucebit. Igitur qui singulas partes vaticiniorum Jesaianorum ei, cujus nomini etiamnum conciliantur, præripere student, nonnulli ita judicandum putant de capp. 24—27. vel propter lusus verborum, quibus hæc capita supra modum abundant *). Sed hinc vereor ne causas nequidquam nectant inanes, nisi propter consequentiam de aliis locis (v. gr. 32, 4—20.) eorumdem vaticiniorum, qui totidem fere lusibus scatent, idem judicare velint. Conferant, quæso, illi Jer. 24, 16. et 33, 1. item 24, 3. et Nah. 2, 11. et sic porro. Neque video, quare ex lusu in vocabulis שמן—שמך Cant. 1, 3. Kohel. 7, 1. iterato, (itemque conferas Cant. 4, 10. Prov. 5, 2. 21, 17. 20. atque in vocibus עין et יין Prov. 23, 29. et Cant. 4, 9 s.) argumentum sumendum sit, quo eorum potius sententiæ, qui libris Kohel. et Prov. diversos fuisse auctores statuunt **), quam eorum, qui unum eumdemque scriptorem agnoscunt, faveamus. Alia autem est ratio in sermone definiendo, quo usi sunt scriptores. Itaque non absurde disputat Hieronymus, quum in lusus eosque haud futiles in nominibus quarumdam arborum (*σχινος, σχισει; πρινος, πρισαι*) in historia illa Susannæa v. 54—58. incidens, esse hos ipsos in argumento statuit, ***) cur historiam istam non he-

---

"odorando judicare" videar, adlegasse juvat quod *Origines* ad *Eusebium* (Hist. Eccl. VI, 25.) refert, librum 1:mum Maccab. inscriptum fuisse *σαρβηт σαρβενε ελ* i. q. שרבת שר בני אל et quidem de ipsa inscriptione universorum libb. *των αποκρυφων* ita sentio, ut existimem, eam ex frequenti in his libris usu verbi *αποποκρυπτειν* potissimum esse repetendam.

*) V. *A. Knobel*: der Prophet Jesaia, Lipz. 1843. p. 173. Bene *Umbreit* ad hunc ipsum locum: "man hüte sich überhaupt an poetischen Individualitäten einen engen Maasstab der Kritik nach der sogen. Schreibart zu legen."

**) Cfr. Hävernick l. c. p. 235.

***) In Prooem. ad Danielem. "Da dieses Wortspiel, welches hier nicht nur ungezwungen und natürlich ist, sondern auch in das Wesen der Sache verflocten ist, un mit-

bræa, cui quippe talis adlusio non conveniant, sed græca lingua scriptam atque sic canonicam putandam neget. Quamquam nihil ea ipsa ludendi ratione linguæ hebrææ magis conveniens dicéres et id potissimum in verbis *scindendi*. Quod si quando contigerit mihi his, quos in libris apocryphis jam inveni veros verborum lusus Sap. 1, 10. 12, 25. 26. 14, 5. 30. Sirac. 14, 10. (*πονηρος, φθονερος*) 19, 24. 3. Esr. 4, 62. 2. Macc. 6, 29. plures nancisci compares, conferent, opinor, ad idem de reliquis statuendum, quod ille de historia Sus. contendit *). Ad analogiam cujus rationis utri optime adspirent, ii qui evangeliorum scriptores aramæa, aut ii qui græca lingua a fonte usos esse existiment, vix dijudicaverim. Utrinque enim lusus verborum provocant. Quos qui in versione Peschito, si non plures at veriores agnoscunt **), id sane sibi habeant, modo nihil disceptent. Et vero, quantacunque res, quam commentatio nostra præcipue quærit, ad judicandum est, haud dissimulo, animum inclinare, ut ad eos, qui evangeliorum scriptores græco usos esse stilo dicunt, me potissimum adjungere ***). Lusus enim verborum Matth. 6, 16. *αφανιζουσι γαρ* cet. testante Cl. Schott †), auctorem prodit græce scribentem ††). Neque hoc lusu solo utitur in suis

---

hin auch in Grundtext hätte sein müssen, sich in der hebräischen und chaldeischen Sprache nicht ausdrucken lässt, so ist diese Erzählung gewiss ursprünglich griechisch geschrieben," *J. Jahn* Einleit. in die B. d. A. Bundes, Wien 1803. II. §. 226. Cfr. *Origines* epist. ad Afric. 221. ed. Wetst.

*) Existimavi me eodem jure hoc admonere posse, quo nonnulli, aliquem horum librorum primitus esse hebræis litteris consignatum probaturi, obscuras atque reconditas vocum adlusiones adhibuerunt. V. *J. Jahn* l. c. §. 251.

**) Imprimis laudant lusum verborum Matth. 11, 17. ܘܠܐ ܪܩܕܬܘܢ — ܐܪܩܕܬܘܢ (*ου ωρχησασθε — εκοψασθε*). Ad quæ tamen admonere juvat eadem voce græca ludere Johannem Apoc. 1, 7. *οψεται-κοψονται*, Paulum Gal. 5, 7—12. quin ipse Matthæus versatur in eadem eodem modo etiam manifestius cap. 24, 30. quocirca, quantum conjicere licet, collusionem hujus ipsius vocabuli peculiariter jucundam ad aures Orientalium venisse videtur.

***) Neque mihi, ita sentienti, incommodum adferunt ea, quæ de colloquio, quod cum Syro quodam habuit, narrat *Cl. Buchanan*. Ille enim quum negat verba *ἠλι* cet. Matth. 27, 46. non adcurate esse descripta, dicens legi debere *hil* vel *hila* (syr. ܚܠܐ), quod vox similiter sonans in lingua antiquor. Syrorum significaverit *acetum*, atque sic duplicis verborum lusûs præbuerit ansam: hæc omnia non tam scripti nem quam auditam orationem attinent, neque satis manifesta ludendi ratio exstat in Peschito l. c. v. 48. (Cfr. tamen *Buxtorfii* Lex. Chald. cet. p. 326. 754.) Buchanan: nyaste undersökningar öfver Christ. och Bibl. Litteraturens tillstånd i Asien. Öfvers. Stockh. 1817. p. 101.

†) Isagoge p. 72.

††) Respice etiam orationem v. 19. eodem verbo *αφανιζεσθαι* continuatam.

verbis Matthæus. Apud eum exstat etiam hic cap. 16, 18. de quo supra mentionem jam fecimus et nunc hoc tantum subjungimus, quod in textu græco duobus formis *πετρος* et *πετρα* indicatur, id quidem in Syro una eademque ܟܐܦܐ significari at hac ipsa tamen per diversa pronomina masc. et foem. Qua quidem re Glassius ad credendum se adduci confitetur, Sp. S:um consulto voluisse *in græco authentico textu* sermonem mutare perspicuitatis caussa, ne quis per errorem ad Petrum referret aliena. Sed pergamus ad reliqua. De epistolis Apost. nonnulli etiam, ut constat, ita senserunt, ut dixerint, eas quidem aramaice primo esse scriptas et dein græce translatas; ad quos tamen refellendos, nescio an ingens lusuum, qui in litteris certe Paulinis insunt, numerus suffecerit *). Ceterum non video, quare aliter ac de his, quas modo locutus sum, judicandum sit de reliquis **). (Cfr. adlusionem quam agnoscunt inter vocabulum *απαταις* 2. Pet. 2, 13. et similiter sonantem *αγαπαις* Jud. v. 12. Vide et v. 6.)

§. 25. Quum multi exstant scripta patrum, quæ ad fidem litterarum S. in ceteris accedunt, sine dubio operæ pretium foret diligentius adtendere, quid iis in hoc, de quo agimus, genere cum sacris litteris commune sit. Nos quidem, quum leviter tantum ea legendo adtigerimus, nonnullas tamen deprehendimus quasi lusuum adumbrationes, quæ communionem illam litterarum et vocum comprobent. Consule v. gr. Justinum Mart. ***) in Dial. cum Tryph. 3, B. (item D.) ubi lusus inter *φιλολογος* et *φιλεργος* propter duplicem *του λογου* significationem et orationis et rationis oritur; et in Epist. ad Diognetum 5, B. coll. cum 6, A. (*κατοικεω* cet.) Phrasis ibm *τραπεζαν κοινην παρατιθενται αλλ᾽ ου κοινην* multum vexavit Interpretes; sin vero ad consuetudinem S. L. adtenderis, facilem, puto, et expeditam invenies explicationem Ottonis: Sie haben einem gemeinsamen Tisch, aber nicht einen gemeinen. Macar. hom. 2. *το σωμα ου ἑν μερος η μελος πασχει.* Cfr. 2. Macc. 8, 24. Hieronymus, qui in versione sua Bibliorum S. verborum lusus reddere non est periclitatus, se tamen permultum adamasse hoc dicendi genus, in suis ipsius litteris ostendit; (v. c. "ne liberalitate liberalitas pereat" (ep. ad Paulin.), "cujus cinis immunditia, cujus finis ge-

*) Cfr. Schott. l. c. p. 206.

**) Ibm p. 493.

***) Vide S. Justini Opera. Recens. J. C. T. Otto. T. II. Jenæ 1843.

henna (matri et filiæ), præter multa alia exempla quæ ultra adferre non attinet).

C.

§. 26. Venimus nunc ad postremam partem dissertationis nostræ, ut videamus, quidnam ratio illa ludendi ad elegantiam sermonis sacrosancti faciat. Quantum autem ad litterarum sacrarum in vernaculam linguam versiones conduceret, si majorem partem lusuum illorum transferre liceret, vel ex iis, quæ supra memoravimus, adparuit. Id igitur, quoties ejusmodi versio non multum habeat difficultatis, fieri decere arbitror. Quod in LXX seniorum *) reliquorumque, quotquot antiquiores sunt, translatorum interpretationibus prorsus fere, quod sciam, prætermissum est. Ad quam rem illustrandam quæ pertinent, magis exemplis, quæ mox adlaturi sumus, elucebunt.

De lusibus, quibus in vocabulis diversis uti consuerunt Hebræi, siquidem utilitatem maxime respicerent, ante disseruimus; siquidem ad aliquam venustatem atque elegantiam orationis efficiendam referri queant, nunc dissarendum est. Hoc enim non nisi de quibusdam ex eo genere prædicari poterit. Et vero aut in magna eorum parte virtus agnoscatur oportet, **) aut nullas omnino in litteris sacris reperiri elegantias putandum est; namque adeo reliquis hoc genus, de quo maxime quærimus, admixtum invenimus ***). In tanta autem congerie disponenda nos non profitemur rationem et viam optimam iniisse, at nostris tamen oculis mentique proximam. Jam vero, quemadmodum nobis placuit eorum lusuum, in quibus mens et judicium magis, quam verba, respicitur, ab iis distinctio, quorum præcipua cernitur vis in externa quadam vocum similitudine: ita haud alienum visum est elegantiarum universarum ex-

*) Ii vero non refugerunt ab alia in verbis ludendi ratione, dico Chaldæorum *Atbach*, ut videtur ex Jer. 51, 1. (28. 1. in Alex.) ubi לב קמי vert. *Χαλδαίους*.

**) *Kimchi* ita judicat de universo hoc genere, quum id dicit fieri דרך צחות, elegantiæ caussa.

***) Rem heic, ut satis memoria dignam, adnotabo, *Bileamum* istum, poëtam profanum, quod scimus, omnium antiquissimum in carminibus fatidicis Num. 24. lusus verborum adhibuisse; V. v. 6. 21. 22. Num autem illos elegantiæ carminis offecisse et non potius profecisse juste quispiam dixerit? Cfr. quæ in eandem sententiam loquitur *Hävernick* l. c. I. 1. p. 199. (ad Jos. 3, 11. 13.)

teriores ab interioribus distinguere *). Ne autem in caussa liberrima eam nobismetipsis præscribentes legem atque ubique observantes, multa speciosius quam verius disponeremus, consecuti sumus hanc potissimum viam, quæ pro instituto nostro commodissima videbatur, neque a fine, ad quem tota disquisitio revocanda erat, abhorrebat.

§. 27. Initium faciamus a repetitionibus, quæ et ipsæ litteris S. valde, ut constat, familiares sunt et eo interdum cum lusibus verborum commercio conjunctæ, ut in vocibus consimilibus, quid mera sit repetitio, quid lusus, non continuo distinguatur. Quod si repetitiones vi sua suaves esse possunt et elegantes, multum suavitatis accedat necesse est, si verbis repetitis aliqua colludendi ratio subsit. Hoc adeo verum est, ut satis multæ verborum repetitiones in vitio forent, nisi lusus quædam vis et efficacia adesset. Intelligo autem et verborum repetitiones et sententiarum; earumque hæ præcipue visæ sunt animadvertendæ:

α) repetitio quidem sententiæ vel verbi, quod plerumque gravitate eloquentis crescente cum lusu vocum alienæ significationis conjungitur; e. gr. Am. 8, 1. 2. כְּלוּב קָיִץ

ואמר כלוב קיץ ויאמר י״ה בא קץ וגו

Corbem pomorum æstivorum -- dixitque Jehovah:
Veniunt orbes moesti super populum meum.

quem eumdem repetitionis lusum alii tantum metaphoræ inservientem videas Hez. 7, 2. 6. Huc inprimis referas Jer. 1, 12. 23, 38 s. (Hez. 12, 10.), ubi voc. משא in lingua vernac. post Lutherum per ancipitem vocem "tunga" haud inepte redditur **). Et universe heic teneantur lusus in iisdem vocabulis diversæ significationis, si quibus elegantia quædam vindicari possit, veluti 1. Reg. 10, 28.

β) rep. vocabulorum fere similium atque synonymorum, præsertim si una vel altera voce significationis discrepantis lusus absolvatur, Jud. 10, 8. 2. Reg. 17, 4. Thren. 2, 16.

---

*) V. A. Hedner, de elegiaci apud Romanos carminis elegantiis, Ups. 1833.

**) In oraculis et responsis hic loquendi mos consuetus ac fere solennis etiam eleganter fit repetitione ejusdem vocab. mutatis subjectis vel prædicatis. Jes. 21, 11. Cum Zeph. 2, 4. similibusque locis comparari potest effatum illud in L. psevdosibyll. (referente Bochart l. c.): *Εσται και Σαμος αμμος, εσειται Δηλος αδηλος*
Και Ρωμη ρυμη.
Hanc observationem nos ad §. 7. jam adjicere debuisse fatemur.

Jer. 1, 10. לנתוש ולנתוץ־ולנטוע
ad diffindendum et discindendum- et ad refingendum.

Quamquam repetitiones ejusmodi per polyptota, velut בוקה ומבוקה ובלקה Nah. 2, 11. plus habent emphaseos quam elegantiæ.

γ) Rep. ejusdem versûs aut sententiæ mutato ita uno alterove vocabulo, ut oriatur lusus, habet nescio quid svavitatis Jud. 5, 15. 16. (cfr. v. 9.) גדולים חקקי לב, magnæ librationes rerum
גדולים חקרי לב, magnæ deliberationes rerum.

Rom. 14, 15. 16. *μη τω βρωματι εκεινον απολλυε* cet.
μη ἑνεκεν βρωματος καταλυε το εργον του θεου.

δ) Repetitio ejusdem verbi per quandam mimesin ideoque ludendi gratia; cui quidem generi, in litteris sacris frequenter obvio, miro plerumque inest elegantia et vis. Jes. 45, 11, 12. 66, 3. 4. Hez. 20, 24. Ps. 109, 14—16. יזכר עון אבותיו
ויכרת מארץ זכרם
יען אשר לא זכר עשות חסד

Quo repetendi more imprimis scripta Paulina enitent; e. gr.

Rom. 12, 13. 14. *φιλοξενιαν διωκετε — διωκοντας ὑμας* - - - - - - -
— 14, 13. 14. *μηκετι ουν αλληλους κρινωμεν αλλα τουτο κρινατε μαλλον*
(quæ "pulchra mimesis" est, auctore Bengelio)

Gal. 4, 17. *ζηλουσιν ὑμας . . . ἱνα αυτους ζηλουτε.*

ε) Rep. cujusdam verbi ex fine versûs prioris, quod insequentem versum atque nonnumquam universam, quæ proponitur, orationem inducit.

Jud. 5, 19. 20. ubi נלחמו quod enuntiatur primum de regibus, eleganter de stellis coelestibus repetitur idem, Hos. 2, 24. 25.

Rom. 1, 7. 8. ubi *αποκαλυπτεται* ex fine exordii, exordium commode fit tractationis; 2. Cor. 13, 9. 11. ubi *καταρτιζετε* ex voc. *καταρτισιν* in conclusione tractationis, initium conclusionis apte existit.

ζ) Repetitio ejusdem vocis in compositis, quæ singularis est elegantiæ, si in diversis etymis versatur oratio. Rom. 12, 22. 23. Joh. 15, 2.
Παν κλημα εν εμοι μη φερον καρπον, αιρει αυτο
παν το καρπον φερον, καθαιρει αυτο.

ϑ) Repetitio acuta et singularis ejusdem nominis mutato numero ita ut inflectatur significatio simul, legitur Prov. 30, 31.

מִיץ חָלָב יוֹצִיא חֶמְאָה
וּמִיץ־אַף יוֹצִיא דָם
וּמִיץ אַפַּיִם יוֹצִיא רִיב

quorum verborum collusionem in aliam linguam reddere fructra tentabis.

§. 28. In omni exquisitiori dicendi genere, sive sacro sive profano, nihil est antiquius, nihil frequentius, nibil denique, si juste instituatur, suavius, quam usus *epithetorum.* Quæ quando cum vocabulis, quibus proxime adjunguntur, ludendi rationem comprehendunt, optime adornata ornantiaque diceres. Et quia sæpe ex vocabulis quibusdam vicinis repetita exstiterint, post repetitiones illas, quas modo tractavimus, ea jam exponemus.

α) epitheta quæ per antonomasiam fiunt, cum pro nomine proprio nomen commune idque propter excellentiam ponitur, in litteris sacris frequentius deprensa. Sic summo deo imprimis competunt nomina gloriose attributa Jes. 13, 4. יְהוָה צְבָאוֹת מְפַקֵּד צְבָא מִלְחָמָה Deus exercituum exercitus recenset. (Cfr. 31, 4.) ibidemq. v. 6. שֹׁד מִשַּׁדַּי (*als Verheerung vom Herrn;* De Wette) (Ejusdem epitheti cum voc. adludenti usus Joel 1, 15.) Ejusd. c. 53, 11. יַצְדִּיק צַדִּיק justus justificabit; quo cum epitheto, adludenti fere modo, conspirat *δικαιος* illud Act. 3, 14.

β) Eleganter personis epitheta detrahi et rebus tribui solent, elegantissime vero, ut nobis videtur, admixto verborum, quibus id fit, lusu. Hez. 8, 3. Jes. 60, 7. בֵּית תִּפְאַרְתִּי אֲפָאֵר

templum mei honoris honore adficiam.

γ) loco epithetorum adhibentur periphrases genitivæ et cum verbo colludente connexæ: Prov. 18: 24.

אִישׁ רֵעִים לְהִתְרֹעֵעַ Einer hat viel Umgang zu seinem Untergang. De Wette.

19, 28. 2. Cor. 13, 11. *ειρενευετε· και ὁ θεος της ειρηνης εσται μεθ᾽ ὑμων.*

δ) epithetum, facta comparatione, ex iis sumtum, quæ cum re vel persona, cui adjicitur, quodammodo cohærent: Jes. 28, 14.

אַנְשֵׁי לָצוֹן מֹשְׁלֵי הָעָם הַזֶּה

duo epitheta, quorum utrumque singularem habet sensum, quum ad verba v. 13. ex quibus desumtum est, nobiscum respicias.

Rom. 4, 16, 19. *θεου, του ζωοποιουντος τους νεκρους — σωμα ηδη νενεκρωμενον — νεκρωσιν της μητρας.*

ε) et universæ loco epitheti inseritur aliquid in promtu vel ex re natum *) ex. gr. Amos. 7, 7.

נצב על־חומת אנך ובידו אנך

stabat super muro regulari, habens in manu regulam.

§. 29. Epithetis ita adumbratis, anthitetorum exempla proponemus. Quorum usu litteris sacris nihil est conjunctius; nec desiderantur in antithetis acumina vel argute dicta. Jam vero his, ut ait Ernesti, **) esse magnam suavitatem, suus quemque sensus docet. Neque autem ea, quæ acute dicta reperiantur, argutiora sunt, nec suaviora, quam quum simul in lusu, quem proprie appellamus, verborum versantur. Quod ex his, quæ sequentur, fortasse patebit.

α) opposita animadvertantur, quæ in ironia sunt. Jes. 14, 13—16. 57, 13.
Nah. 3, 14. 1. Reg. 18, 27. ubi de Baale dicit Elias: "deus ille!" additur

כי־שיח וכי־שיג לו

aut quæstione aliqua aut digressione occupatur.

Joh. 7, 27. 28. Judæi: *αλλα τουτον οιδαμεν ποθεν εστιν.*
Christus: *Καμε οιδατε και οιδατε ποθεν ειμι.*

β) allusiones ad nomina, dicta, acta, cet. cujus rei in L. S. innumerabilia exstant exempla, et nonnulla nescio quid ornamenti habent et suavitatis. Velut Jes. 29, 1.

O Ariel! o Ariel!
du Davids *hvilolägers* (חנה) stad!
Låt ännu några år förgå:
- - - - - - - - - - - - - - -
så - - skall du *svida, qvida* (תאניה ואניה);
men dock förbli min *Ariel.* (id quod hoc nomen symbolicum includit)
Och emot dig Jag skall slå *läger* (חניתי), cet.

---

*) Epitheta, quæ numquam otiosa esse debent, vim suam et gravitatem interdum habent in adlusione quadam verborum, quam investigare ut difficile erit, ita fructuosum. Exemplum habebis Joh. 1, 48. *ιδε αληθως ισραηλιτης, εν ῳ δολος ουκ εστι,* ubi, me judice, quum *δολος* sit i. q. עקב, adlusio fit ad duo nomina patriarchæ.

**) *Ernesti* Init. Rhet. §. 354.

Rom. 16, 12. ubi *τας κοπιωσας* apte alludit ad oppositam significationem nominum *τρυφαιναν* et *τρυφωσαν*.

Philem. v. 10. 11. *ονησιμον, τον ποτε σοι αχρηστον*
νυνι δε σοι και εμοι ευχρηστον (cfr. illud Ciceron. (ad Fam. VII, 29.) "sum enim *χρησει μεν* tuus, *κτησει δε* Attici nostri."

γ) contraria et repugnantia apte per lusum connectuntur:

Jes. 63, 9, בכל צרתם לא צר,
quod cantoris illius his fere redditur:
Ich bin in Noth und weiss doch nicht
Von rechter Noth zu sagen. *)

2. Cor. 4, 8. *απορουμενοι αλλ᾽ ουκ εξαπορουμενοι*
tviflande men ej förtviflande. *Thom.*
2. Cor. 10, 6. 2. Thess 3, 11.

δ) In oxymoro, quod item e disjunctis et repugnantibus est, etiam ex hoc, quod speciem falsi præ se fert sub eoque latet verum, insidet suavitas; in quo quidem intellecto existit quædam acuminis species, interdum etiam admiratio. Jes. 63, 3. 4. Prov. 23, 2.

Matth. 6, 16. *αφανιζουσι γ. τα προσωπα ἁυτων*
ὁπως φανωσι τοις ανθρωποις νηστευοντες
De Wette: Sie entstellen ihre angesichter
um ihr Fasten zur Schau zu stellen vor den Leuten.

Rom. 1, 20. "incomparabile oxymoron" est: *τα γ. αορατα αυτου - - - - καθοραται.* 2. Thess. 3, 13.

ε) opposita ducta a majoribus ad minora, e. g. Jes. 17, 7. 8. et a minoribus ad majora 1. Sam. 15, 27. 28. ubi Saul Samuelem abeuntem gremio poenulæ prehendit et poenula abrupta est (ויקרע); tunc Samuel alloquitur illum: abrupit (קרע) hodie a te Jehova regnum.

Luc. 13, 12. 15. 16. *γυναι, απολελυσαι της ασθενειας σου,* illam allocutus est Servator, et ad istos, qui contra vociferati sunt, ait salse et ingenue: *εκαστος ὑμων τω σαββατω ου λυει τον βουν* cet. - - *ταυτην δε θυγατερα αβρααμ - - ουκ εδει λυθηναι;*

ζ) opposita, quæ adpositorum fere vices obeunt. Cant. 4, 2.
שכלם התאימות ושכלה אין בהם
De äro alla tvillingfödande, och kallas ingen af dem barnlös.

η) oppositio personarum Jer. 3, 32. Jes. 24, 2.

---

*) *Paulus Gerhardts* geistl. Lieder. (Wackernagelii ed.) p. 95.

ϑ) oppositio, qua idem sibi opponitur. Jes. 16, 9. 10. ubi utraque significationis ratio in voce הידד, lætam scil. acclamationem et vindemiatorum et militum indicante, sibi invicem opponitur; velut suethice: härsång — fröjdesång. Cfr. Exod. 32, 18.

1. Tim. 4, 14. 15. *μη αμελει του εν σοι χαρισματος*
ταυ7α μελετα, εν τουτοις εσθι.

ι) oppositio per catachresin: Rom. 3, 27. (*δια νομου πιστεως.*)

κ) opp. per plocen: Joh. 3, 31. Rom. 7, 13.

λ) comprensio plurium in una re: Jud. 16, 28.
ואנקמה נקם־אחת משתי עיני מפלשתים
dum pro ambobus oculis meis Palæstinos una vindicta ulciscor.

μ) aliena ab æquo, a natura rerum, a personis, cet. cum aliqua ludendi virtute ponuntur.

Es. 5, 7. Jag väntade lag och si slag;
rättvisa och si jemmervisor.

Es. 1, 23. att de dig styra skulle, blefvo bångstyrige. (Lusus adamatus: Hos. 9, 15. Jer. 6, 28.)

Hez. 12, 12. Och den som bland dem spiran bar, skall bördor bära.

1. Cor. 11, 17. *ουκ εις το κρειττον αλλ εις το ἧττον συνερχησθε* (cfr. Jes. 58, 3. 4.)

§. 30. Jam vero argute dictis oppositisque sententiæ succedunt, quippe in quas illa sæpenumero abeant. Quocirca si qua virtus lusuum sit in verbis, quæ contrariis contraria adponuntur, facile concedatur, quemadmodum in vitio sententiæ eæ sint, "quæ sunt in verborum lusu inani et tenuibus inventiunculis ingenii specie blandientibus" (Ernesti In. Rh. §. 165.), ita lusibus, qui vero acumine polleant, effici sententias graviores nitidioresque. Ac nescio an id potissimum valeat in stilo hebræorum maxime sententioso. In hoc loco ponimus Prov. 6, 27. 11, 18. 16, 14. 17, 2. 22, 3. 26, 28. Rom. 13, 7.

Matth. 8, 22. Luc. 9, 6. *αφες τους νεκρους θαψαι των εαυ7ων νεκρους* (Låt de döda begrafva sina döda).

Quod si brevitas in sententiis commendanda est, huc talia referas, quale Gen. 18, 27. עפר ואפר (tamquam id "pulvis et umbra sumus");

Cfr. Jes. 61, 3. פאר תחת אפר (quasi glädjedoft för sorgestoft; *). Ps. 94, 8.

§. 31. Imitationes potissimum poetarum, quæ in aliis linguis tam usu sunt frequentes, non omnino desunt in sacris. Elocutiones autem prophetarum priorum, quos adpellant, atque poetarum imitando sequuntur posteriores nonnumquam; sæpius scriptores N. T. loca quælibet V. T. præclarissima sibi sumunt imitanda. Accedit vero quæ strictissimo sensu dicitur imitatio naturæ neque reprehendenda ea quidem, quamquam in artibus liberalibus a nonnullis repudiata. Imitationum in scriptis augustissima majestate venerandis, cum lusibus in vocabulis conjunctarum, nonnulla jam lubet proferre exempla.

α) Imitationes naturæ, in lingua hebræa, ut existimare licet, crebriores quam in qualibet alia, primum heic dignas habemus, quæ respiciantur, quippe collusiones omnino sunt cum natura rerum et præsertim quando vocabulis sono sibi adfinibus fiant, elegantia sua non carent. Multas enim res quum sacri scriptores non magis describant quam depingant, lusus haud raro ut quosdam quasi colores adhibent. In ejusmodi pictura versatur prima, quam deprehendimus, lusiuncula in verbis, iis dico quibus vastitas naturæ adumbratur תֹהוּ וָבֹהוּ Gen. 1, 2. cujus fit imitatio Jer. 4, 23. Imitationem latrationis caninæ videre vel potius audire mihi visus sum Jes. 28, 9. 13. צו לצו — קו לקו cet. ignis striduli Jes. 5, 24. (cfr. 33, 11.) קש לשון אש וחשש; teli jactûs vehementioris Jes. 24, 17. 18. qua imitatione iisdem verbis etiam gaudet Jer. 48, 43. 44. fletûs et ejulatus Hez. 9, 4. terræ motûs Ps. 18, 8. pipatus pullorum Jes. 10, 14. et sic in reliquis. Atque hoc quidem loco maxime intelligi potest, quare lusibus verborum multa, quæ dicuntur, *ονοματοποιητικα* originem debeant.

β) Imitationes in verbis, formulis et modis loquendi, itemque in tropis, figuris ceterisque elegantiis non multos adnotare nobis licebit, quippe qui de iis tantum, quibus aut lusus perspicuus aut allusio certe recondita subsit, agamus **).

---

*) Cfr. item Gerhardum canentem (l. c. p. 97.): Da wird mein Weinen lauter Wein
Mein Æchzen lauter Jauchzen sein.

**) Imitationes v. lusuum si quis adspicere velit uberiores, etiam in singulis versibus, hebr. factis, in quibus similiter cadunt et desinunt verba *(la Rime)*, is evolvat librum תפארת ישראל oder hebr. Chrestomathi der bibl. und neuern Litteratur, von D:r *A. Martinet.* Bamberg, 1837. e. g. p. 168. 169. 189.

Lusum illum elegantem Jes. 7, 9. אם לא תאמינו כי לא תאמנו
præclare auctor paralip. imitatus est 2. Chr. 20, 22.

האמינו ביהוה ותאמנו
האמינו בנביאיו והצליחו.

et Lutherus: glaubet Ihr nicht, so bleibet ihr nicht.

In quo quidem loco aliisque similibus præcipue patet, quantum ille prope nil nisi latinitatis suæ curiosus interpres, Castellionem dico, erraverit, qui ita vertit: "quod si non creditis, ut estis increduli."

Hos. 1, 4. ubi lusio intercedit inter nomina ישראל et יזרעאל videtur Paulus emitatus esse Rom. 9, 6. *ου γαρ παντες ὁι εξ ισραελ ουτοι ισραελ,* *) quemadmodum idem in eodem cap. infra v. 25. imitatur eumdem prophetam 1, 8. 9. 2, 25.

Joh. 3, 10. 11. mansuete factam mimesim ex ore Servatoris percipimus, qui ad verba illius magistri v. 2.

οιδαμεν ὁτι απο θεου εληλυθας διδασκαλος

adludendo respondit tandem:

Συ ει ὁ διδασκαλος --- λεγω σοι ὁτι ὁ οιδαμον λαλουμεν. **)

§. 32. Auctores sacri nulla adjumenta ad exornationem atque amplificationem orationis refugientes, in eum finem haud paucos adhibuisse videntur verborum lusus, ut res de quibus verba faciant, augeantur et ornentur. Quum autem omnis exornatio cernatur in explanandis rerum causis et effectibus, in personis ***) cet. exponendis, lusus qui interdum verbis, quæ magnitudini illustrandæ inservire debent, efficiuntur, quasi quædam lumina dictionis vel colores judicandi sunt:

---

*) in hoc effato quis non recordatur Homericum illud: *αχαιοι ουκ αχαιοι?*

**) Hic locus noster de imitationibus, præcipuus est, ad quem nonnullas virorum præstantium ludibundas enuntiationes, si morem S. scriptorum quodam modo respexerint, referre poteris. Sicuti si ad Jes. 5, 7. 13, 21. 22. 17, 1, 2. Hos. 12, 2. vel similia comparaveris illas *Schilleri* (l. cit.)

Die Klöster sind — — Nester;
Die Bisthümer sind verwandelt in Wüsthümer;
Die Abtheien und die Stifter
Sind nur Raubtheien und Diebesklüfter;
Und alle die gesegneten — — Länder
Sind verkehrt worden in Elender.

Vel hæc *clar. Præsidis* (in libro *Jesu lefverne* 1, 81. vide et 1, 170.: Om den allena saliggörande kyrkan led brist på *heliga,* så var den desto rikligare välsignad med *helgon.* Var den sparsam på *under,* så slösade den så mycker mer med mirakler.

***) Vide Ernesti In. Rh. cap. III. XI.

α) in caussis explanandis vel in ætiologia quadam versantur.
Jes. 65, 11, 12. Ebr. 5, 8. *εμαθεν αφ' ὡν επαθην ὑπακοην*
και -- εγενετο τοις ὑπακουουσιν αυτον αιτιος cet.
(quorum verborum priori cum lusu mire congruunt Herod. I, 207. *τα δε μοι παθηματα τα εοντα αχαριτα μαθηματα γεγονε*) (Cfr. Apoc. 5, 9.)

β) in effectibus exprimendis. Jer. 11, 16. 17. Rom. 1, 28. (Cfr. 2. Cor. 13, 3. 5.) *καθως ουκ εδοκιμασαν τον Θεον εχειν εν επιγνωσει παρεδωκεν αυτοις ὁ θεος εις αδοκιμον νουν.*

γ) in personis earumque vel vitiis vel virtutibus effingendis.
Exod. 35, 26. 27. וכל־הנשים אשר נשא לבן וגו׳
והנשאם הביאו וגו׳

Prov. 18, 1. 2. (cfr. 9, 1. 2.) Enstöringen sin tystnad söker blott
och uti intet måtta håller;
ej till förstånd är dåren böjd,
böjd endast att sitt hjerta blotta.

Mirum in modum pulchre amplificatur opera angeli illius ecclesiæ Ephesinæ Apoc. 2, 2 .3. quæ amplificatio est in dupplici v. lusu præcipue: *οιδα — τον κοπον και ὑπομονην σου και ὁτι ου δυνη βαστασαι κακους, και εβαστασας δια το ονομα μου και ου κεκοπιακας.*

δ) in descriptione temporum atque locorum magnam sæpe vim ad augendum habet lusus verborum. Jes. 13, 21. 22. 30, 6. 7. Hez. 41, 24.
Ps. 50, 2. מציון מכלל יופי אלהים הופיע

ε) in copia, præda, gratia rebusque circumstantibus exaggerandis.
Jud. 5, 30. 31.

רחם רחמתים לראש גבר	*Virgo* una, immo duæ, unicuique *viro*
שלל צבעים לסיסרא	Præda sagulorum variorum *Siseræ,*
שלל צבעים רקמה	Præda sagulorum variorum *virgata*
צבע רקמתים לצוארי שלל	Sagula *virgata* cirvicibus prædalitiis.

Cant. 7, 13. 14. שם אתן את־דודי לך	Illic tibi meos indulgebo amores
הדודאים נתנו ריח	Flores illi reddunt odorem,
- - - - - - - - - - -	- - - - - - - - - - - - - - - - -
דודי צפנתי לך	quæ tibi, amores mei! roposui.

ζ) in comparationibus similitudinibusque, quarum ratio non magis rei cuilibet illustrandæ quam amplificandæ aptissima est. Iis autem, in vo-

lumine litterarum S. admodum crebris, haud raro lusus verborum novum quasi quoddam decus et ornamentum adstruunt.

Kohel. 7, 5. 6. שיר כסילים — —
כי כקול הסירים תחת הסיר
כן שחק הכסיל

(Præstat objurgationem audire sapientis
quam si quis audiat) concentum stultorum;
nam qualis est sentium sub olla stridentium crepitus,
talis est stulti risus. Cfr. Hez. 24, 6.

Cant. 4. 10. 12. ריח שמניך מכל בשמים
גן נעול אחתי כלה
גל נעול מעין חתום

Et odor unguentorum tuorum omnibus condimentis (dulcior);
Hortus conclusus est sororcula mea sponsa;
Tortus scaturiginis conclusus, obsignatus fonticulus.

Eph. 4, 1. 3. *εγω ὁ δεσμιος - - την ἑνοτητα του πν. εν τω συνδεσμω της ειρηνης.*

§. 33. Nulla in re, id quod satis constat, quam in adfectibus probe commovendis, tam multi sunt scriptores biblici nominatim V. T. Cui quidem inserviendi gratia nil subsidii, quod lingua subministret, intentatum relinquunt; nec facile erit dicere quid ad imitationem vel repræsentationem adfectuum magis contulerit quam accessio illius similitudinis verborum, quæ in collusione sit duplicique impetu aures atque animos audientium feriat *). Ex campo fere immenso pro nostro consilio exempla nonnulla adumbrasse sufficiat.

In exclamandi particulis et formulis, Jes. 1, 4. (Prov. 23, 29.) Nah. 2, 2. in terrore, quem quis aliis incutiat aut ipse sentiat, declarando: Jes. 13, 6. 9. 11. 12. in iracundiæ et indignationis præsertim divinæ repræsentatione, Exod. 32, 18. Jes. 63, 4. 5. et contra in fa-

*) De his rebus copiosius loquitur *Cicero* de oratore L. III. 57. 58. "Omnis enim, inquit, motus animi suum quendam a natura habet vultum et sonum et gestum: - - omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsæ. - - Hi sunt actori, ut pectori, expositi ad variandum colores." Eum autem inter hos colores, quæ ad variandum valeant, lusiunculas quasdam verborum agnovisse ex uno itemque altero exemplorum, quæ adfert, cernitur: *Hæc omnia vidi inflammari, Priamo vi vitam evitari;* et *innuptis junxit nuptiis.* V. et L. II. c. 63. III 54.

vore divino prædicando: Jes. 54, 6. 8. in doloris explicatione, Jer. 4, 30. 31. Thren. 4, 15. Gaudium quum efferat se atque exultet audacius, quid mirum si verbis etiam ludat? Sic fieri in Deboræ carmine ευχαριστικω jam supra ostendimus; in carmine Hannæ item, ad quod hymnus illius Virginis et in hac ipsa re similitudine accedit. Cfr. Luc. 1, 52. 53.

Ad hoc argumentum pertinent quodammodo in litteris sacris frequentius usurpata, prosopopoeia et sermocinatio, quæ et interdum per verborum lusum quasi vivaciores redduntur; Jes. 1, 2. 5, 14. Prov. 8, 27. Jud. 5, 28—30. Quid suavius nos permulcere poterit quam verba Hos. 5, 15. 18. (6, 3.) quibus Deus

> donec ii, inquit, me requirant ac mihi rebus in adversis advigilantes (יְשַׁחֲרֻנְנִי) dicent:
>
> agite . . . . Jehovam agnoscere enitemur,
> cujus ortus est tamquam auroræ (כשחר) cet.

Corrigenda: p. 2. l. 28 ad voc. *scripsit* adjicias *generibus*.
— 3. l. 3 pro v. *quo rem* leg. *quo significavimus rem*.